

M

DE GVTTA

PODAGRICA, CHIRAGRICA, ET ARTHRITICA



Libri Duo

FRANCISCI INDIAE MED. ET PHILOSOPHI VERON.


In quibus natura earum, & curatio, miro ordine Discutitur, & Enucleatur.

Et Medicamenta non Vulgaria, magnæq; vis, & efficatiæ præstantissimæ, & quę à nullo vnquam antea fortasse excogitata, proponuntur.

AD CLEMENTEM VIII. Pont. Max. & Fœlicissimum.







VERONÆ, CIƆ IƆ C.
SOCIETATIS ASPIRANTIVM CVRA.

Superiorum permissu.

DE GVTTA PODAGRICA, CHIRAGRICA, ET ARTHRITICA




Libri Duo

FRANCISCI JNDIAE MED. ET PHILOSOPHI VERON.


In quibus natura earum, & curatio, miro ordine Discutitur, & Enucleatur.

Et Medicamenta non Vulgaria, magnæq; vis, & efficatiæ præstantissimæ, & quę à nullo vnquam antea fortasse excogitata, proponuntur.

AD CLEMENTEM VIII. Pont. Max. & Fœlicissimum.







VERONÆ, CIƆ IƆ C.
SOCIETATIS ASPIRANTIVM CVRA.

Superiorum permissu.

mor.

Ego Franciſcus Abauricalcho Prior Eccleſiæ S. Aegidij vidi, & ſubſcripſi.

Ego Baptiſta Perettus Archipresbiter S. Iohannis in Valle vidi, & ſubſcripſi.

Fr. Aegidius Puſterla Inquiſitor Veron.

QVIBVS. TE. NVNC. LITERARVM. MONVMENTIS.
CLEMENS OCTAVO'
PONTIFEX. OMNIVM. MAXIME. FORTVNATISSIME'.
APPELLARE. AVDEAM.
NESCIO.
NAM. MAIESTATEM. NOMINIS. SANCTITATISQ; TVÆ.
QVÆ. OMNES. TERRAS.
ET
MARIA. OMNIA.
SPLENDORE. OCCVPAVIT. SVO.
CONTEMPLOR.
ET. RES. A. TE. DIVINITVS. GESTAS.
MAIORES. OMNINO'. ESSE.
QVAM. MORTALI. MANV. ATTENTARI. DEBEANT.
COGNOSCO.
TANTOQVE. NVMINE. MEOQVE. PVDORE.
DETERRITVS. CONTICESCO.
FRANCISCVS. INDIA. M. PH.
AD. TVOS. SANCTISS. PEDES.
PROIECTVS.
D. D.
KAL. SEXTIL. CIƆ.IƆ.C.
ANNO. PONTIF. TVI. VIIII.
QVI. VTINAM. ÆTERNVS. FVAT.

PRAEFATIO
AD LECTOREM.



ON defuturos esse arbitror, Benignissimè Lector, qui meam hanc tractationem adeò non probent, vt potius valdè reprahendant, qui post tantos celebres Medicinæ cultores, in hac eadem materia probè scripserint, ego noui aliquid in medium proponere audeam, atque in tàm arduo negotio, proficui, boni que aliquid addere me ipsum arrogem, quoniam, quæ ab Authoribus grauissimis longo vsu, diuturna obseruatione, atque experientia reperiri non potuit, solus ego moliri nostro hoc tempore profitear. Quibus omnibus obiectionibus, licet mihi dicere fas esset, ac ita respondere, quod in maximis voluisse sat est; vt vnicuique tamen cumulatius satisfacere valeam: Fateor equidem, & priscis artis Medicæ Inuentoribus, Recentioribusque illius cultoribus maximi tribuendũ esse, verum ob id, eos omnia adinuenisse, & innotescere potuisse, &, quæ ab illis minimè fuere adinuenta, alios non potuisse perquirere, hoc ita facilè non esse concedendum, opinor. Quid igitur mirum, si ego iàm longo studio, ac vigilijs inter Articularium affectuum naturam indagandam prius Antiquorum, & recentiorum scriptis perspectis, seduloque examinatis, quædam scitu digna enucleaui, quæ, quoniam ad humani generis insignem vtilitatem maximè faciunt, non quidem ostentationis, sed potius humanæ pietatis amore ductus, propterea iure meritò manifestare sum ausus: Et, quamuis apud vulgares homines hoc negotium per arduum quidem, & cùm primis operosum videatur, labor tamen, atque difficultas rem impossibilem non

faciunt;

faciunt; extat enim in prouerbio, difficilia esse quæ pulchra sunt. Quamobrem, vt egregie aliquid à me tentatum fuisse dicatur, fauore adspirante diuino, hæc ex multis meis lucubrationibus manifestare decreui. Quòd si alij addiderint, aliorum scripta, modò huc, modò illuc colligendo, exarare, faciliorem viam ad libros conficiendos, vel congerendos parare, hoc vtique non difficilè concedetur, verum tamen, antequàm alij hoc de me ipso loqui statuant, scripta mea, qualiacunque sint, absque liuore, & virulentia perlegendo, cum aliorum scriptis conferant, veritatem si quidem absque fuco, & fallacia exploratam habebunt, & non ita temere de me iuditium ferent: quamplurima enim meo marte conscripsisse, & quædam ex aliorum scriptis deprompsisse conspicient; quatenus ad ea, quæ meo qualicunque ingenio, litterarum monumentis traddidi D. O. M. gratias agere debeo, quoniam me ipsum ad hæc scribenda dictitauit, quatenus autem alia ab Illustriss. scriptoribus selegerim, fateor me id sanèquam libentissimo animo præstitisse, vt opinionem illorum, quæ magis veritati consentanea mihi videbatur, colligerem. Vale.

INDEX CAPITVM QVAE IN PRIMO LIBRO CONTINENTVR.

De

INDEX CAPITVM

Quæ in libro secundo continetur.

FRANCISCI INDIAE PHILOSOPHI, ET MEDICI VERONENSIS.

Tabellæ Primi Libri, quæ naturam, Differentiam, causas, signa, & Prognostica Guttæ Podagricæ, Chiragricæ, & Arthriticæ exactissimè patefaciunt.

Vt latius in meis tractationibus patet, ad hoc vt Gutta, vel Podagrica, vel Chiragrica, vel Arthritica concitetur, posthabita intemperie simplici sine materia, & flatuosis spiritibus, quia nunquam fiunt absque materia.

Duo præcipuè concurrunt causæ, scilicet

- Externæ, vt
  - Pigricies.
  - Nimium otium.
  - Nimia quies.
  - Crapula.
  - Ebrietas.
  - Immodica uenus.
  - Vsus prauorum cibariorum.
  - Suppressio omnium assuetarum euacuationum.
  - Aegritudines cronicæ, & perperam curatæ.
  - Importunus labor.
  - Laboriosa, & intempestiua exercitatio.
  - Animi perturbationes.
  - Vigiliæ immodicæ.
  - Somnus extra tempus, & consuetudinem.
  - Ex his enim calor naturalis adeo frigescit, vt ad concoctionis munera ineptior euadat, & ex consequenti crudorum, & omniũ prauorum excrementorũ copia progignatur.
- Internæ, vt
  - Humores, qui multi esse possunt, vel enim est sanguis.
    - Purus
    - Non Purus cũ bile mixtus abundat, quæ vel est
      - Flaua.
      - Vitelina.
      - Praxina.
      - Atra,
      - Eruginosa.
    - Cũ Pituita, quæ, vel est
      - Dulcis.
      - Salsa.
      - Insipida.
      - Vitrea.
      - Cruda tenuis
      - Viscida glutinosa.
    - Cũ melãcolico succo, qui vel fit per adustioné.
      - Sãguinis
      - Pituitæ
      - Salsæ.
      - Bilis.
    - Cum miscella humorũ, vt inquit Aetius, quoniam quandoq; committetur.
      - Calidus frigido, vt
        - Bilis.
        - Cum melancolia.
        - Pituita.
      - Et uicissim.
      - Frigidus calido.
        - Cũ Pituita sercsis humorib.
        - Bile.
  - Membra.
  - Facultates.



Tabella, quæ ostendit causas à Membris desſumptas.


Rurſus cũ inter cauſas ĩternas, mẽbra recenſeãtur, hęc ſunt in duplici differentia.

- Principalia, vt
  - Cerebrum
  - Ventriculus
  - Hepar
  - Lien.
    - Huiuſmodi membra quando per quamcunque cauſam alterantur, & à ſua naturali functione deſiſtunt, prauos humores generant, & ad alias partes deponunt, nempè ad articulos, vel pedum, manuum, coxarum, & aliarum partiũ, articulorum præcipuè loca replent, diſtendunt feriunt, & dolorem concitant varium.
- Non principalia, vt
  - Muſculi
  - Tendones
  - Membranæ
  - Nerui
  - Articuli.
    - Qui rari, dilatati, laxi, lati, atq; valdè imbecilles fiũt, Vel propter percuſsiones caſus, propulſiones, luxationes, & à natura quandoque ita ſunt conſtituti, q̃a ab Auis, & Genitoribus originem traxerunt.
      - Propterea ob ſui imbecillitatem, humores iam fluẽtes admittunt, atque recipiunt, & ob illorum repletionem, diſtenſionẽ, & mordicationem, vario dolore afficiuntur.

Tabella quæ ostendit causas à facultatibus Membrorum dessumptas.

- Amplius cum inter causas internas, Facultates membrorũ connumerentur, scilicet
  - Cerebri
  - Ventriculi
  - Hepatis
  - Lienis
    - Horũ facultates sunt in duplici differẽtia, alia enim est
      - Expultrix, quę
        - Quatenus est robusta ad membra debiliora, veluti ad Articulos superfluitates expellit.
      - Retentrix, quę
        - Quatenus ẽ imbecillis ad membra debiliora humores crudiores, & alios male administratos relaxat.

Tabella, quæ causas nodosæ Podagræ, & Chiragræ ostendit.



Causæ, quę Nodosam Podagram, vel Chiragram concitãt duplices sunt, vt puta

- **Externę, vt**
  - Pigricies, otiũ, vita a laboribus aliena, crapula, ebrietas.
    - Ex his enim calor naturalis hebetatur, & copia crudorũ humorũ prognitur, qui sui crassitie, & glutinositate, per assationem in terrestrẽ duritiem vertuntur, siue a medicamentis nimium calefacientibus, exiccantibus, & discutientibus, siue a medicamentis nimium stupefacientibus, & torporem incutientibus, ita condensantur, ac congelantur.
- **Internę, ut**
  - Humores viscidi, & glutinosi, q. in corpore abundãt
    - Qui in articulis digitorum, vel Manuum, vel Pedum fluxi, dum ibi resident adeò crassescunt, ut in duritiem contumacissimã vertuntur.
  - Membra, q̃ vel sunt
    - Principalia prauè affecta, ut
      - Cerebrum
      - Vẽtricul⁹
      - Hepar
      - Lien
        - Qui humores prauos generant, & ad alias partes imbecilliores trasmittunt.
    - Non principalia imbecilliora.
      - Musculi
      - Tendones
      - Membranę
      - Nerui
      - Articuli
        - Qui propter sui imbecillitatem humores fluentes admittunt, & recipiunt, & in articulis digitorum, uel Manuum, uel pedum adhærẽt tumefaciẽdo, & dolorem concitando.
  - Facultas Membrorum, uel
    - Nimis robusta
      - Humores superuacaneos ad imbecilliores partes trasmittit, & deponit.
    - Admodum imbecillis
      - Humores malè administratos, & crudos relaxat.

Tabella vniuersalis, quæ docet à quibus signa Guttæ Podagricæ, Chiragricæ, & Arthriticæ dessumuntur.

Signa podagræ, chiragræ, & aliorum articularium affectuum dessumuntur, vel

- Ab intemperie inæquali simplici, sine materia, quę erit, uel
  - Calida
  - Humida
  - Frigida
  - Siccā
  - Dato autem, quod morbi articulares producantur ab intẽperie simplici sine materia, membra praue affecta non alterantur in superficiè, uel in
    - Colore,
    - Calore,
    - Grauitate,
    - Nec admodum in dolore,
    - Vrinis,
    - Pulsu,
    - Excretionibus, & alijs.
    - Propterea hęc signa minimè sunt consideranda, ut latius in proprio capite dicetur.
- A spiritu flatuoso in coarticulationibus ocluso, neruos, & vincula, & musculos distendente cognoscetur, vel
  - A dolore tensiuo membri praue affecti,
  - A tensione,
  - Ab immutabilitate coloris,
  - A ratione victus flatus generatrice,
  - A rugitu, & à sonitu hypocondriorum,
  - Ab vrinis flatulentibus,
  - Ab excrementis, quæ cum stridore exibunt,
  - A temperatura imbecilli,
  - Ab Ætate potius senili.
- A materia, quæ multiplex esse potest, vel enim est sanguis, qui sane, vel est
  - Purus
  - Non Purus
    - Cum bile mixtus,
    - Cum Pituita, quæ aut est
      - Dulcis
      - Salsa
    - Cum Melancolia,
    - Cum miscella humorũ

Tabella ex qua Signa Podagræ à ſanguine puro deſſumuntur.

Rurſus ſi fuerit ſanguis purus dignoſcitur quia vel

- Dolor in affecto membro erit extenſiuus. cum pulſatione, manè infeſtans, & continuò exacerbans.
- Color in ſuperficie cutis erit rubicũdus valde, ſi materia in profundo non deliteſcit.
- Calor erit moderatus, & ad tactum facilè perceptibilis.
- Iuuamentum erit à moderate refrigerantibus.
- Læſio à calefacientibus.
- Sudor quandoque in fronte ægrotantis apparebit, & in capite grauitas, & ſomnolentia.
- Pondus aderit in affecto membro.
- Tumidum erit, & venæ circumiacentes tumidę.
- Os, Lingua, & Palatum quandam dulcedinem deguſtabunt.
- Ætas erit ab Adoleſſentia, vſque ad virilem ætatem.
- Temperamentum ſanguineum
- Regio temperata in qua vitam ducit.
- Tempus veris, in quo aeris conſtitutio erit calida, & humida temperate.
- Victus ratio anteacta ad ſanguinis copiam progignendam.
- Pulſus magni, pleni, & vndoſi.
- Vrinæ rubeæ, & moderate craſſæ.
- Excrementa laudabilia.

Tabella quæ signa Podagræ à sanguine cum bile mixto producta demonstrat.

Si fuerit sanguis cũ bile permixtus, dignoscitur, vel quia	Dolor in affecto membro erit acutus, pungitiuus, acris, & valde intensus, exacerbans de tercio in tercium. Color in superficie cutis ad citrinitatẽ tendet. Calor tactui pungitiuus, & mordax. Iuuamentum erit à frigidis. Læsio à calidis. Sudor nullus. Tumor exiguus Os, Lingua, & Palatum erunt amara, & sitibunda valde, cum febre interdum. Ætas iuuenilis, vsq; ad principium senectutis. Temperamentum erit biliosum. Regio calida, & sicca. Tempus æstiuum. Victus ratio anteacta bilem generans. Pulsus veloces cum exigua quadam duricie. Vrinę coloratæ, & tenues, ad auri similitudinẽ, potius fuluæ. Egestiones biliosæ.

Tabella quæ signa Podagræ à sanguine permixto, cum dulci pituita demonstrat.


Si fuerit sanguis, cum pituita dulci permixtus, cognoscitur, vel quia

- Dolor in membro læso non erit admodum acutus, quotidie exacerbatur, & non remittitur integre.
- Color in superficie cutis ad albedinem potius vergens, & non admodum à naturali statu alienus.
- Calor exiguus.
- Iuuamentum erit a temperate calidis.
- Læsio à frigidis, & calidis valde.
- Sudor nullus.
- Pondus aderit, & grauitas, cum difficili motu articulorum.
- Tumor quandoque ædematosus aderit, quandoque durus, ob additionem flatuum.
- Os, Lingua, & Palatum insipida, cum aliqua siti, sed non intensa.
- Ætas ad senectutem vergens.
- Temperamentum frigidum, & humidum.
- Tempus hibernum, in quo aeris cõstitutio erit frigida, & humida.
- Victus ratio, absque labore, & motu, in qua est vsus cibis substantiæ crassæ; frigidis, & humidis.
- Pulsus moles, varijque ad tactum.
- Vrinæ colore remisso, crassæ substantiæ, & vt plurimum perturbatæ.
- Excrementa Pituitosa, & mucilaginosa,

Tabella, quæ signa Podagræ à sanguine cum pituita salsa permixto ostendit.

Si autem salsa fuerit pituita, cũ sanguine mixta, cognoscetur, quia vel

- Dolor membri læsi erit acrior, & quotidianus.
- Color cutis potiùs ad rubedinem exiguam inclinans.
- Calor aliquantulum intensior cum pruriginosa mordacitate.
- Iuuamentum à moderate frigidis, & salsedinem obtundentibus.
- Læsio à calidis, & a frigidis valdè.
- Sudor apparebit dum confricantur partes, quæ ad scalpendum irritant.
- Pondus aliquis aderit in articulis lęsis.
- Tumor non admodum dissimilis ab illo, qui a pituita dulci fit.
- Os, Lingua, atque Palatum salsedine erunt prædita cum siti.
- Ætas, Temperamẽtum, Tempus, Constitutio aeris, Regio, — Eadem erunt, quę de signis in pituita dulci dicta sunt.
- Pulsus non ita moles, neque ita diuersi.
- Vrinæ conturbatæ quidem, paulo tamen tenuiores cum subsidentia aliquando crassa.
- Excrementa pituitosa, aliquam tamen caliditatem pręseferentia.



Tabella, quæ signa Podagræ à sanguine cum succo melancolico permixto patefacit.

Si sanguis cum melancolico succo iunctus fuerit, dignoscitur, vel quia

- Dolor membri affecti paruus erit, & exacerbabitur de quarto in quartum diem.
- Color cutis liuidus, quandoque niger.
- Frigiditas potius ad tactum manifestabitur.
- Iuuamentum non aderit, vel à calidis, vel à frigidis medicamentis.
- Læsio potius erit à quibuscunque.
- Sudor nullus.
- Pondus, atq; stupiditas in affecto membro persentietur.
- Tumor non aderit magnus, vel euidens.
- Os, Lingua, & Palatum succum acerbum degustabunt, absque siti.
- Ætas erit consistens, & extremum senium.
- Temperatura sicca, & frigida.
- Tempus autumnale, & hibernum, aeris constitutio frigida, & sicca.
- Victus ratio bilem atram progignens.
- Pulsus duri, & tardi.
- Vrinę in principio tenues ad aquæ similitudinē, postea atriores, cum aliqua crassitie, cum sedimento fusco.
- Egestiones atræ, supercoctæ, & mucosæ.

Tabella, quæ signa Podagræ à mixtione humorum productæ declarat.

Si fuerit miscella humorum cognoscetur, quia vel

- Dolor membri praue affecti erit internus, materia enim quæ infestabit non in superficie, sed in profunditate membri residebit in humorũ mixtione. ideo
- Color / Calor / Frigiditas — & alia Medicũ facillimè decipient propterea, alia erunt maturo consilio perpendenda, nempe
- Ratio victus præcessã — si fuerit — biliosa, / pituitosa, / atrabilaris, & cuius mixturę
- Temperatura corporis. — Ad quorum humorum generationem apta.
- Ætas — Ad quos simul mixtos humores gignendos fuerit pronior.
- Tempus præsens, & anteactum / Constitutio aeris. — Ad quos humores faciendos aptiores sint, fuerintue.
- Vrinæ / Excrementa — Cuius miscelle humorum signa ostendant.
- Et quę ab Ægrotantium relationibus eliciuntur.
- Hæc omnia optimo, occulatissimoque Medico consideranda relinquũtur, quæ si à me essent declaranda, longiorem Tabellam, & prolixiorẽ discursum requirerent, nihilominus in capite 20. & 21. meæ tractationis vide fusius.

Tabella, quæ declarat signa ab Aegrotantium relationibus dessumpta in Chiragra, & Podagra.

Signa, quæ ab ægrotantium relationibus eliciuntur, sunt in duplici differentia, vel enim

- Circa partes læsas versantur, quia
  - Si dixerint languentes manus sibi dolere.
  - Signum erit Chiragræ.
  - Si pedes, Podagræ.
  - Si genua, Gonagræ, & sic de singulis.
- Circa membra à quibus humores tanquam a fontibus originē trahunt, quia
  - Tunc erit signum humores initium habuisse ab vniuerso corpore.
  - Si languentes dixerint se prius febre fuisse correptos, & postea in dolores manuum, vel pedum incidisse.
  - Et signum erit humores à capite prouenire si de dolore capitis, somnolentia, & grauitate prius conquesti fuerint.
  - Et signum erit huiusmodi affectus à supresſis hæmoroidarum assuetis purgationibus originem traxisse.
  - Si per hęmoroidas, quis copiosè expurgari dixerit, & fuerint suppressæ, & postea in articulares morbos incidisse.
  - Et sic de quibuscunque interceptis purgationibus dicendum est.

Tabella, quæ declarat signa locorum, in quibus humores Podagrici, & Chiragrici redundant.

Humores Chiragrici, vel Podagrici, aut redūdant in

- Cauitatibus articulorum, & membranis.
  - Tumor erit internus, & non ita facilè perceptibilis.
  - Et languentes dicent se dolorem intimiorem, & in profundo percipere.
- Ligamentis
  - Tunc tumor erit externus, & perceptibilis, & euidens.
  - Et Aegrotantes dicent se dolorem in superficie experiri.
- Superficie scilicet sub cuti
  - Tunc affirmabunt languentes, quod dolor, partem affectam comprimendo, exacerbatur.
- Intimiori parte, scilicet, inter musculos.
  - Tunc affirmabunt ægrotantes, quod partem læsam comprimendo, dolor non augetur.

Tabella, quæ indicat corpora ad Articulares Morbos parata pro cuius rei exacta intelligentia.

Septem sunt inquirenda, scilicet

- Temperatura, vt
  - Corpora calida, & humida.
  - Frigida, & humida rationibus alias dicendis.
- Habitudo
  - Pinguia corpora, & obesa.
  - Et dilatatos meatus habentia.
  - Ab Auis, & Genitoribus Podagricis originem trahentia.
- Ætas
  - Senilis ob calidi innati paucitatem:
  - Iuuenilis, quæ ad errores circa victum cõmitendos est facilis, & ad Venerem procliuior.
- Sexus
  - Viri potius quam mulieres, quia violentiores efficiunt motus, & insignes substinent labores, &c. pro vt latius in tractationibus.
- Status
  - Corpora ex diuturna ægritudine infirma, & perperam curata.
  - Et à quacunque causa imbecilliora.
- Tempus
  - Veris, & Autumni
- Regio
  - Frigida, & humida vt in Sythia Nomadũ gentes, & in alijs Europæ partibus.
  - Calidæ, & siccę, vt in partibus Africę circa Ægyptum, in Alexandria, in Carria, in Regione Cabalensi, & in quamplurimis Italiæ locis. sed præcipuè Romæ.

Tabella, quæ circa modum prognosticandi in Articularibus morbis versatur, pro cuius faciliori notitia.


Tria præcipue sunt inquirenda, an scilicet Morbi Articulares.

- In desperata salute positi sint
  - Qui valde sunt confirmati.
  - Qui in corporibus senũ reperiũtur.
  - Hereditarij.
  - Nodosi.
  - Qui ab humorum miscella non cognita producuntur.
  - Qui à melancolico succo fiunt.
  - Qui à flaua bile progigniuntur tantum.
  - Qui à luxationibus proueniunt.
- In spe salutis adsunt.
  - Curatu difficiles
    - Qui in manibus, & pedibus fiunt.
    - Qui ab humore pituitoso, crudo, & viscoso oriuntur.
    - Qui ab insigni multitudine materię cõcitant.
    - Qui à varijs, & diuersis humoribus proueniũt.
  - Curatu faciles.
    - Qui nondũ confirmati sũt in corpore robusto, in ætate consistenti.
    - Qui Ischiadici dicũtur.
    - Et omnes alij, qui à sanguinis plenitudine fiunt.
    - Qui à biliosò, cum pituitoso humore producuntur permixto.



De Guttæ PODAGRICAE, CHIRAGRICAE, & ARTHRITICÆ NATVRA Liber Primus.

De nomine, & essentia Guttæ Podagricæ, & aliorum consimilium affectuum. Cap. I.



VAMVIS Podagra vulgari hoc nomine Guttæ, vel vt alij perperam volunt, barbarico nomine ita appelletur, tamen est veluti genericum nomen omnium ægritudinum, quæ per distillationem producuntur in locis præcipue articulorum, pedum, manuum, coxarum, vertebræ spinæ, & aliarum corporis consimilium partium; quia materia ab alijs membris, in iuncturarum,

 & ar-

& articulorum cauitatibus, & ligamentis guttatim cadit, quemadmodum gutta aquæ paulatim stillat; quoniam, vt quotidiana experientia non difficile est demonstrare, & rationi consentaneum esse videtur, nostri corporis membra ad se inuicem superfluitates deponunt, teste Galeno lib. 3 de naturalibus facultatibus cap. 13. iure igitur merito, Gutta nomen generis obtinere meretur, quoniam Arthritis de Podagra, tanquam genus minimè prædicari apta est, Galenus enim 6. aphorismorum aphorismo 28. clarissimè affirmare videtur, quod ferè omnes, qui articulari affectione corripiuntur, priùs Podagrici fiunt; quod cum ita sit, non alienum à veritate esse existimandum est, quòd Gutta, potiusquam Arthritis, tamquam nomen genericum considerari debet; verum quoniam artuum ligamenta, & iuncturæ quamplurimę sunt, & variæ, in quibus, & inflammationes, & flatus, & mali defluunt humores, seuissimum dolorem incutientes. Propterea huiusmodi ægritudo, ob loci male affecti varietatem, diuersum sibi nomen aquirere videtur, vt idem Galenus libro secundo methodi medendi cap. 2 manifestat, & Cęlius Aurelianus quinto libro tardarum passionum capit. primo, vbi inquit. *A partibus, quæ dolore vexantur, hæ passiones nomina sumpserunt*, idemque initio secundi capitis eiusdem libri confirmat. Quoniam itaque quandoque plures, vel etiam omnes nostri corporis articuli per fluxionem humorum in illis partibus dolore corripiuntur; & quandoque vna sola, vel alia pars determinata, & particularis. Propterea si omnes simul, vel plures nostri corporis articuli cruciantur,

cian tur, tunc Gutta Arthritica vocatur; si vero vnus solus, & determinatus alicuius particularis membri articulus praue afficitur, particulare nomen à loco particulariter affecto sumit. Si fuerit articulus Maxillæ, tunc vocabitur Syagonagra, quia σιαγὼν à Grecis Maxilla dicitur: Si Ceruicis Trachelagra, quia τράχηλος Ceruix appellatur. Si Spinæ dorsi Rhachisagra namque dorsi spina ῥάχις nuncupatur, Si Humeri, Homagra, quia articulus Humeri cum scapula ὦμος vocatur: Si articulorum claues, vel iuguli, cleisagra, quia κλεὶς clauis dicitur grecè. Si cubiti pechyagra, propterea quod πῆχυς, cubitus est. Si manus chirargra, quia χεὶρ pro manu accipitur. Si coxæ, ischia, namque ἰσχίον, coxa est. Si genu, gonagra, quia γόνυ; seu γόνατα genua dicuntur, si tandem articuli, pedum praue afficiuntur Podagra appellatur, propterea quod πούς Græcis, Latinis verò Pes intelligitur. Verùm quoniam non est optimi Medici consilium, rationem curandi à nominibus, sed à sola rei natura depromere, idcircò maxima affitior admiratione; quomodo quidam grauissimi Medici tum antiquiores, tum etiam recentiores; in definitione harum egritudinum, præponere præcipuè videantur dolorem; dicendo Arthritidem esse dolorem articulorum quorundam, vel omnium æqualiter; & Podagram dolorem esse articulorum pedum, & chiragram articulorum manuum dolorem; quasi vero dolor ipse, qui est symptoma sit potius affectus, quam symptoma, & sic dum male dolorem, veluti potiorem in definiendo recensent, morbum, & illius naturam, & essentiam posthabentes negligunt, & prætermittunt,

Ratio curandi à rei natura depromitur.

a quibus germana curandi via absque dubio elicere omninò deberent.

De Definitione Guttæ Podagricæ, &c. *Cap. II.*


VT itaque quantum in me est ab aliorum perspicua allucinatione longè discedam, huiuscemodi affectus talem definitionem tradere opinatus sum. *Arthriticam Guttam esse exuberantis, recrementiciáq; materiæ, & flatuum defluxum in nonnullis, vel in omnibus æqualiter articulorum vinculis, membranis, aut tendonibus, articulorum præcipue loca replentem, tendones, & neruos distendentem, ac ferientem, & ibi ex consequenti dolorem concitantem*; quæ sanè definitio clarissima apparebit ex his, quæ à me posterius dicentur; huius itaque affectus origo, & fons excrementorum, & flatuum exuberantia est; verum quoniam de natura fontium est emanare, & fluere, propterea talium excrementorum, & flatuum exuberantia per varia loca confluens Arthritidem, Gonagram, & Chiragram efficit; hæc veritas ab optimis, & clarissimis Scriptoribus confirmatur; imprimis autem à Galeno quamplurimis in locis, verum peculiariter libro sexto aphorismorum 28. & 29. Cum vero fluxionum leges hæ sint, vt pars validior ad imbecilliorem propellat, hinc fit, vt in nostris corporibus, natura quandoque à multitudine, vel à mala qualitate humorum irritata, excitet membra robustiora, & fortiora, vt ad minus valida, & malos humores, & superfluitates deponant: Quare

Definitio.

vt

vt concitetur Gutta, vel Podagrica; vel Chiragrica, vel Arthritica; omnium, malorumque humorum congeries irritantium requiritur, membra validiora requiruntur, quæ repellant, & imbecilliora quæ recipiant.

Humores excrementici, qui ad Guttam Podagricam, & alios articulares affectus producendos requiruntur. Cap. III.



SED qui nàm sunt huiusmodi redundantes humores, & qualia nàm esse debent huiusmodi excrementa, quę confluunt? pituita, sanguis, bilis, & quandoque atrabilis? probatur hoc ex Galeni testimonio in libro decimo de compositione medicamentorum secundum locos, capite secundo, vbi hæc habentur verba. *Aliquando quidem irruens humor sanguineus est, vt plurimum vero pituitosus, aut ex pituitoso, & biloso mixtus, aut etiam sanguine cum ipsis permixto, quod si quis exactius interpretari rem velit: non pituitosum humorem, sed qui propriè crudus appellatur, vt plurimum citra Arthritidas prædominari dixerit, est autem hic crassus ad similitudinem puris crassioris. Vbi vero in ipsis articulis diutiùs moram traxerit, non solum crassior, sed etiam viscosior redditur.* Confirmatur etiam ex authoritate Pauli Aeginetæ libro tertio de arte medendi cap. 78. dicentis. *Superabundansq́; humor, nunc quidem biliosus, nunc vero sanguineus, quandoq́; melancolicus, magna vero ex parte pituitosus, ac crudus est.* & quæ sequuntur:

Re-

Remanet modo, vt videamus nunc, quæ nam sunt membra illa, à quibus veluti fontibus, tales humores scatentes erumpunt, & membra quæ eosdem recipiunt, & per quas vias, ad talia recipientia membra perueniant.

Quæ nam sunt membra quæ humores excrementicios deponunt, & per quas vias. Cap. IV.


Embra igitur, quæ has omnes emittunt superfluitates, varia, & plura sunt, caput præcipuè, ventriculus, & intestina, Iecur, & Renes: A capite autem potissimùm, & à cerebro fluxiones istæ fiunt, quoniam, licet ab intestinis, & à ventriculo, & alijs membris, isti humores originem trahant, antequàm ad partes iuncturarum, & manuum, & cubitorum, & spatularum fluant, prius ad caput in multa copia ascendunt, & postea ab illo, ad subiectas partes iam dictas transmittuntur. Non negamus, quæ etiam à nonnullis conantur probare, authoritate Auerrois 7. collectaneorum cap. 37. & Hyppocratis decreto 4. aphorismorum 44 & 45: nempe quod humores qui articulos infestant, à toto corpore quandoque proueniant: Clarum enim est, quod humor minimè influet, si corpus omnino superfluitatibus immunis, ac liber extiterit, verum tamen negamus humorem per omnes corporis partes diffusum immediate a toto corpore, ad articulorum vincula, membranas, ac tendones confluere: nam quo-

modo

modò fieri poteſt, vt humor, qui in ventriculo, vel in inteſtinis, vel hiecore, aut liene ſuperuacaneus, vel mala qualitate affectus reperitur, confeſtim ab hijs partibus, ad articulos confugiat? niſi ab irritamento naturæ per vias ad articulos ducentes propellatur? quæ nam ſunt iſte vie? non video equidem alias eſſe, quam venas, muſculos, & neruos, dato itaque quod à toto corpore ſimul, videlicet à iecore, à liene, ab inteſtinis, & ventriculo, vno, & eodem tempore humores propellantur ad manuum, & digitorum articulos, neceſſarium eſt, vt per venas, per muſculos, & per neruos, ab hijs omnibus viſſeribus, ad manus pertingentes, humores deferantur, alioquin manuum articuli minimè lęderentur. Venæ itaque ad manus, & brachia nutrienda deputatæ, ſunt illæ, quæ humoralia excrementa, quæ per totũ corpus exiſtunt ad digitorum manuum ligamenta, tendones, & articulos defferunt. Et muſculi, qui à varijs claniculæ locis, vt puta, a ſcapulis, & a ſpinæ apicibus, & qui humeros implantantur eadem excrementa ab inferioris corporis partibus ſuſcipiunt, ad digitorum manuum ligamenta deducunt: quæ vero a capite defluunt materiæ, equidem per neruos ab illo deſcendentes, ad manuum digitorum articulos protruduntur. At iſte humorum motus partim a viſceribus per venas, & per muſculos, partim vero a capite per neruos, ad digitorum manuũ articulos fieri nequaquam poterit abſq; temporis interuallo, igitur non immediate a toto corpore, vt quidam grauiſſimi ſcriptores aſſeruerunt, ad articulorũ vincula, & membranas recremẽticius humor confluit, ſed quandoque mediantibus neruis a capite, & cerebro,

bro; quandoque mediantibus venis, & musculis, ab inferioribus, internis membris, ad cubitos, ad iunctu-ras manuum, & digitorum articulos descendit. Neque perpetuò a solo capite, vt Fernelius disputat, per esteriores partes, sed quandoque a capite, per internos ductus a me relatos, humor dilabitur; qui interdum a toto corpore, interdum a iecore, liene, intestinis, & ventriculo congeritur, & interdum a capite, & cerebro generatur. Quod, vt Fernelij scriptoris grauissimi error conspicuus appareat, animaduertendum est, quod ex Galeni sententia in libello de calculo, & in 16. de vsu partium corporis humani, patet consensum venarum a iecore, liene, renibus, ad crura, quoniã vena caua ex gibbis hepatis emergens bifariam videlicet sursum per medias phrenas ascendens, deorsum per aliam, cuius triplex est propago, vna ad renes, altera ad testiculos, tertia ad crura, & pedes. Patet etiã consensus neruorum, quia nerui a spinali medula lumborum, & ossis sacri, ad crura descendunt; vt idem Galenus libro tertiodecimo, & decimosexto de Vsu partium corporis humani testatur, quare existente hoc consensu, non est dicendum quod perpetuo a solo capite humor, progignendo, deferatur ad partes corporis inferiores, vt puta ad genua, ad crura, & ad pedũ digitorum ligamenta, & articulos: non negamus tamen, quod a capite quandoque, ad illas partes non possit descendere, sed propter consensum venarum, & neruorum, spinæ dorsi, & renum, cum genibus, cruribus, & pedibus, affirmamus: quandoque etiam deferri humorem a spina dorsi, & a renibus, ad genuum ligamenta, & ad pedum digitorum articulos. Et propterea

Error Fernelij

pterea non est mirum, si existente interdum dolore in renibus,& grauedine,ratione illorum consensus, postmodum Gonagra, & Podagra succedant, ob defluxum materiæ ad genua, & ad pedes.

Confutatur Fernelij opinio asserentis humores solum per partes exteriores fluere. *Cap. V.*

RELIQVM est modo, vt Fernelij opinio refellatur vbi inquit. *Per quas vias influat humor, nemo adunguem videtur inuestigasse; ex hac ignoratione hactenus dolor articularis pro immedicabili derelictus est, nuncupaturque Medicorum opprobrium*. Postea vero asserit, quod per exteriores partes ad articulos influit; quare si ipse solus hanc veritatem cognouisset,solus etiam ipse in curando hoc affectu palmam adeptus esset,& omnes, alii Medici, qui ante illum fuerunt, hallucinati fuissent. Nos ergo, qui à tanta veritatis claritate illuminati essemus,ingentes illi, immortalesque gratias agere, & animo referre omnes semper teneremur. Præterea, si secundum Fernelij sententiam, humor per partes solum exteriores ad articulos confluit, Ergo necessarium est,vt errent quicunque ex intimis illum partibus, in articulos irrumpere putant, sed, pace tanti viri,falsum est consequens, igitur & antecedens, & consequentiæ falsitatem probare non erit, admodum laboriosum, tum grauissimorum Scriptorum auctoritatibus, tum etiam rationibus à me in

 medium

medium afferendis: nulli enim reuocatur in dubium quod omnes doctissimi scriptores, Fernelio excepto tenent, quod in his affectibus à me propositis, humor nè dum per exteriores partes, verum etiam ex intimis irrumpendo, dilabitur, nempè ex cerebro, iecore, liene, vtero, & similibus, toties dictis, ad articulos confluere, per eosdem internos ductus iam à me sæpe sæpius enarratos; Galenus imprimis plurimis in locis, præcipuè tamen lib. tertio de naturalibus facultatibus cap. decimo tertio. abundè hanc veritatem tueri videtur, quia inquit: *Sicuti inter se particulæ nostri corporis, vna ab altera nutrimentum trahunt, ita altera in alteram quod superuacuum est à se deponit, & sicuti trahentium ea vicit, quæ erat valentior, sic & à se deponentium, estque hæc vocatarum fluxionum causa; habet enim particula quæque natiuum quoddam robur, quo quod superuacuum est persequitur. Vbi igitur earum aliqua affectus cuiuspiam occasione, imbecillior est reddita; ex omnibus in illam confluere, quæ superuacua sunt est necesse, earumque quæcunque pars valentissima est in vicinas omnes reponit, earum rursus singulæ in alias, quæ ipsis sint imbecilliores: dein rursus illarum singulæ in alias, idque eatenus longissime procedit quoad ex omnibus fugatum superfluum in vnam quampiam maxime imbecillarum procumbat.* Ita haud secus in articularibus affectibus, vel Podagricis fieri contingit, quando nempe ex mensium suppressione huiusmodi morbi oriuntur, materia illa peccans, & intercepta ex intimis illis partibus, s. e uenis vteri originem trahit; & per internos ductus venarum, ad omnes articulos æqualiter, vel ad articulos digito-

3. de naturalib. facult. cap. 13.

rum

rum pedum tantùm, veluti ad imbecilliores partes confluendo procumbit. Præterea Paulus Aegineta loco superiùs citato, Aetius, Auicenna, & quamplurimi alij, huic à me prolatæ opinioni plenissimè adstipulantur. Amplius rationi consentaneum esse videtur, quod si tales affectus facilimè ex hæmoroidarum, & menstruorum, & sanguinis narium interceptis fluxionibus progigniuntur, ex partibus quoque intimioribus originem trahant, & materia illa præter naturæ institutum, & consuetudinem detenta, ab illis internis partibus per venas, per neruos, & per musculos, ad articulos dolentes defluat, Ergo non à partib⁹ exterioribus, ut inquit Fernelius, sed ab interioribus, neque à capite solùm, sed etiam à toto corpore, & ab omnibus visceribus initium sumunt articulares morbi. Nec valet, vt ipse admiratione capiatur dicendo. Qui fieri potest, vt humor ita sincerus, qui iam in intimis partibus nostri corporis cũ sanguine erat permixtus, in articulorum spatijs per venas feratur? nollumus namque affirmare, & fateri, arthritidem, vel Podagram ab humore sincero semper fieri, vt suo loco manifestabimus, quia non ita facilè, & sæpè humor sincerus diffunditur, verùm potius mixtus, crassus enim humor, aliorum tenuiorum, & calidiorum humorum mixtione attenuatur, & veluti funditur, vt exempli gratia, humor pituitosus ex sui natura crassus, & lentus non potest ita confertim, & facilè per venas ad articulos fluere, nisi ex tenuioris, & calidioris humoris missella promptior, faciliorque ad motum reddatur, & postea cum in articulorum spacijs fluxerit, humor calidus, ac tenuis facil-

lime reſſoluitur,& euaneſcit, craſſa,viſſidaque materia ibi concreſcente relicta. Præterea & quandoque ſincerus humor à virtute expultrice ſecernitur, propelliturque, veluti in regio morbo fieri quotidie vidimus;bilis enim,quæ cùm ſanguine permixta in venis reperitur,ab expultrice facultate,ad cutim ſincera tranſmittitur; & bilis quæ in venis circa iecoris regionem generatur,dum ibi detinetur, nō nè etiam permiſcetur cum alijs humoribus? Et dum per aluum excernitur,aut per vomitum reiectatur ſincera, non eſt dicendum quod à vi expultrice, &, ſecernatur, & propellatur? Non erit ergo res ita admiranda,ſi etiā affirmare audeamus, humorem antea permixtum, à partibus intimioribus noſtri corporis, ad articulorū ſpatia ſincerum per venas interdum deferri,quia eadem ratione, qua venæ multæ ab externis iugularibus deductæ,ſua ſeroſa, ac tenuia excrementa ad loca ſubcutanea deponunt,eadem quoque ratione venæ, quæ aſſuetum alimentum ad articulos deferunt, humorem excrementitium ex venis vnde deductæ ſunt, exceptum in articulos, & partes ad articulos attinentes impellere poſſunt. Nec etiam valet, vt ipſe Fernelius, ſuam corroborando opinionem ſubiungat. Quod ſi cum humore ſanguis emanaret collectus in articulis,phlegmonem vtique excitaret, quod quidem abſurdiſſimum eſſet. cui ſic mihi reſpondendum eſſe exiſtimo, non quidem Hyppocratis 6 aphoriſmorum 49. & Galeni in comento dicta recenſendo,quibus in locis Authores iſti articulares affectus inter inflammationes enumerant, quia hæc non eſſent ſatis ad Fernelij inſtantiam euertendam;

 nam

nam sępe sæpius contra Galeni decreta præsertim suis subtilioribus, ac potius ingeniosis rationibus insurgere videtur, sed Fernelij tantũmodo verbis ostendere inflammationem in articulari morbo fieri, rationi cõsonum esse, vbi hæc habentur formalia, & particularia verba, de Chiragra. *Dolor huic inest plerunque pulsans; sæpe cum tumore, rubore, colore, atque turgentibus plerunque venis.* Et in Podagricis affectibus. *Tumor, vt in Chiragra adest tum partis, tum venarum ambientium, rubor, calor, dolorque pulsans.* Quæro ego nunc à Fernelio, vbi adest rubor, calor, dolor, & venarum tumor, quid aliud consequi potest, quàm inflammatio? doloribus enim in articulis existentibus, attrahũtur, & frigidi, & calidi humores circa articulos, & partes illæ male affectæ doloroso humore, calido, & rubro tume fiunt; quia per venas irruũt, & ob id venæ partibus dolentibus proximę, & annexę tumidiores ita euadunt, & ita calidiores fiunt, vt inde febris accendi necessarium sit. Ergo nè dum Hyppocrates, & Galenus, Aetius, & alij, verum etiã Fernelius ipse ore proprio conatur fateri, non esse inconueniens in morbis articularibus phlegmonem fieri, & ex consequenti fluxionem humorum ad articulos per venas; & si dicam per spinalem medullam, per neruos, & per musculos humores fluere, statim Fernelius insurget dicendo, quod hoc fieri nequit. *Nam paralisis fieret*; quasi ipse ignoret paralisis causam longè, latèque à morborum articulariũ causis differre, & modum, quo generatur articularis morbus, & paralisis. Fieret vtique paralisis, vt ipse inquit, quotiescunque materia non flueret, sed neruos

Galenus lib. de curandi ratione per sanguinis missionẽ cap. 8.

ob-

obturaret, repleretque, & in partibus interioribus detineretur, atque internam medulæ spinam occuparet. Verùm non sic se habet in articularibus, vel podagricis affectibus, quoniam in ijs materia fluit, ac fluendo neruos interiùs non replet, illosque minime obturat, sed articulorum vincula, membranas, & tendones, & neruos exterius replendo, distendit, ferijt, & ibi dolorem incutit; & quoniam neruos, & tendones, (exteriores partes replendo) distendit; distenduntur autem tendones, & nerui, ad extensionem ligamentorum, & in hac eorum distensione per consensum comprimuntur; ideò tali occasione spinalis medula, tendones, & nerui in arthritide secundum interiorem partem repleri minimè possunt. *non enim rationabile est* (inquit Galenus 6. aphorismorum 49.) *neruos, & cordas, seu tendones repleri, sed dolere solum, quia simul cum dearticulationibus extenduntur, argumento quoniam visus est nunquam podagricus pati conuulsionem*; quibus Galeni verbis Fernelius forrasse non quiesceret, nisi rationibus superiùs aductis satis superque ostendissem, absque paralisis periculo humores in articulari morbo, per spinalem medulam, per neruos, per tendones fluere, & quandoque per vias occultas, & per meatus latentes, & sensibus inconspicuos, veluti per musculos.

Quæ nam sint membra, quæ sui imbecillitate excrementorum defluxum recipiant.
Cap. VII.



Is itaque hunc in modum examinatis, necessarium modo est videre ad quem locũ humor irruens dilabitur; dilabitur inquam ad ossium ligamenta, quę neruosa sunt substantia; ossium enim extremitates connectunt, vt inquit Galenus libro de motu Musculorum capite 2. & 12. de vsu partium cap. 2. & ad artuum membranas, & vincula, & tandem ad articulorum cauitates, & tendones defertur; & hęc sunt membra illa valde imbecilla (vt iam diximus) fluxionem recipientia, quę ad Guttam arthriticam, vel podagricam generandam requiruntur: harum autem partium imbecillitas non est sufficiens, vt dicebat Galenus, ad hos affectus procreandos, est tamen valdè necessaria. Ergo hucusque à nobis discussum est circa ea, quę necessario requiruntur pro Arthritidis. Chiragrę, Gonagrę, & Podagrę generatione, quę vt compendioso sermone repetam, hęc sunt. Plenitudo totius corporis, vel malorum excrementorum copia: Membra robustiora, quę à se talia excrementa repellant, & imbecilliora, quę recipiant.

CAP.

Quod Podagra, Chiragra, & alij articulares morbi non à sola pituita, verum à sanguine, bile, & alijs humoribus producuntur, contra Fernelij decreta. Cap. VIII.



T adunguem autem, & aliquo ordine omnia accurate perpendamus rursus ab excrementis, tanquam à materiali causa consideratio nostra initium sumat; diximus autem quod vt plurimum erat pituita, frequentissime sanguis, quandoque bilis, nec non etiam, sed rarissimè, bilis atra, & hęc veritas à nobis fuit comprobata, & rationibus, & authoritatibus Clarissimorum Scriptorum, pręcipue tamen Hyppocratis, & Galeni, quorum doctrinę, & pręsertim Galenicę, Fernelius noster quandoque minimè assentiri videtur, qui articularem morbum à solo pituitoso, & frigido humore fieri, suis rationibus attestatur, quę vana opinio, nè dum Galeno, verum etiam, omnibus Medicinę Scriptoribus, ac defensoribus, sed etiam rationi, & experientię aduersatur, adeo vt, hac occasione admodum demirari non desinam tantę doctrinę hominē, quousque ipse sua se isthac effręnata iactet audacia; qui laudis amore fortasse tumidus, dicere audeat, quod *Talis est ratione artisque vsu comprobata sententia de Arthritidis continente causa*. Non enim ratio postulat, vt vehementia doloris ab excrementi frigiditate progignatur, sed potius ab eius acrimonia, & caliditate; & sicuti Fernelius doloris vehementiam non negat, ita quoque materiam biliosam, & mor-

mordacem, potiùsquàm pituitosam, & frigidam huius vehementiæ doloris in causam esse admittere debebat, à qua, & dolorum acerbitates, & rubores, & inflammationes, & febres, in Chiragra, & Podagra manifestissimè ad sensum visus, & tactus secernuntur, quæ ijs potissimùm eueniunt, vt inquit Fernelius, *qui constitutionem corporis obtinent impense calidam, atque pletoricam, & ijs, qui leui occasione febre iactantur*. Quero ego nunc à Fernelio, corpora, quæ constitutionem impense calidam obtinent, qua ratione ita in ijs affectibus, vehementissimis doloribus cruciantur? quare in ijs partes dolentes admodum incalescunt? & tument, tumore rubro? Respondere, quia hæc humore pituitoso, & frigido abundant, absurdum omnibus videretur; Ergo optimo iure potiùs est dicendum, quia huiusmodi corpora pletorica, & calida, humoribus biliosis, sanguineis, & calidis abundant, & scateant, quæ ex consequenti etiam leui occasione febre iactantur; quia humores sui natura calidi, & in constitutione corporis impense calida, facilius accenduntur, & leui occasione febrem efficiunt; Quamobrem ijsdem rationibus, quibus Fernelius suam machinatus est opinionem, nostram tuemur, & patefacimus veritatem; videlicet, quod affectus ij de quibus in præsentia sermo habetur, non à solo pituitoso, & frigido humore progigniuntur, sed etiam à sanguine, & cum alijs humoribus permixto, vt iam satis dictum est; nam præter rubrum tumorem, & vehementiam doloris partis affectæ, ratio vult quod a turgentibus, tumidioribus, & plenioribus venis, nos conemur fateri omnes humo-

res posse Arthritidem,& Podagram concitare. Nec obstat Ferneliana ratio,veritatem nostram quoquomodo perturbans,qua asserere videtur,quod calor, tumor, atque rubedo, quæ quandoque in loco affecto à Podagra,& Chiragra inspiciuntur,non à causa morbi,quæ pituita est, sed potius à doloris vehementia proficiscuntur; quæ & interdum febres inducit; Nam vehementia doloris,quæ febrem efficit, non à pituitosa materia; sed potius à biliosa fieri debet, quia pituita nunquam dolorem vehementem concitat:quod si vera esset hęc sententia,sequeretur,quod quanto dolor vehementior esset, tanto augeretur calor, tumor, & rubedo, & tamen quotidiana experientia aliter euenire vidimus, quo enim tumor Podagricus,vel Chiragricus cuiuscunque temperamenti patentior fit,& augetur,& exterius manifestatur, eo magis remittitur dolor,propterea quod materia, quæ articulorum vincula infestabat,doloremque inferebat à natura exterius protruditur. Non importune etiam nostra hæc communis sententia contra Fernelium erit experientia ipsa confirmanda; & in hoc agendo,nihil est, vt morer, temporisque iacturam faciam in recensendis typis dolorum,& affectarum partium varijs coloribus;ex dolore namque per totum ęgritudinis progressum,vniformi,& continuo non admodum intenso,pituitam exhuberare, atque frigidum humorem potiùs est credendum: quando autem quotidie,vel alternis diebus exacerbatur, seu de quarto in quartum diem,ne dum pituitam,verum, & alios humores molestiam inferre pro certo tenere debemus;à varietate colorum quoque, affectę partis

varios

varios humores ad hunc morbum progigniendum concurrere, non est dubitandum: sed prȩter cȩtera, quȩ experientiȩ lumine in hoc negotio, in medium afferri possent, dignum consideratione mihi videtur, quando persȩpe vidimus, aperteque cognoscimus, articularem morbum produci à sanguine e naribus fluxione suppresso; ab intermissis hȩmoroidarum fluxionibus; atque tandem à menstruorum profluuio intercȩpto, & non multo post per sanguinis missionē, iisdem interdictis euacuationibus denuo citatis, laborantes ad pristinam sanitatem restitutos: certissima argumenta, quod non sola pituita, sed etiam sanguis excrementitius, in multa copia detentus Arthritim facere solet. Quid plura? quandoque etiam nonnullos à doloribus infestissimis secundum omnes ferè articulos correptos fuisse cum tumore, & rubedine, prȩcipuè circa genua, & pedum, articulos quibus per alios multa remedia administrata fuerant, & ego postea vocatus, cum ȩtatem considerassem, inspexissemque temperaturam corporis, naturam morbi, vires, & plenitudinem, & Galeni præceptum maturo consilio animaduertissem 10. de compositione medicamentorum cap. 2. dumque meam sententiam proferem, statim proposui, vt illis vena secaretur dexteri cubiti, & copiosus inde sanguis extraheretur, quo facto, omnes dolores eadem die cȩperunt mitigari, adeò vt postridie à doloribus immunes euaserint: atq; iis prȩteritis diebus vocatus à nobili Io. Baptista Zaccaria, conciui nostro, qui quator dierum spatio doloribus circa articulos pedis dexteri vehementer laborabat, adeò vt ob doloris importunitatem

de sua salute valde suspicaretur, & cum locum dolentem vidissem, tetegissemque, & nullum cognouissem tumorem, sed potiùs calorem intensum, & venas habere turgentes, ac plenas, statī, vt illi extraheretur copiosus sanguis à vena cubiti eiusdem lateris ordinaui, quo, me præsente facto, illico à dolore illo molestissimo liberatus fuit; & quid mirum; cum hæc quotidie ægrotantibus euenire, Medici omnes practicantes inspiciant Tandem experiētia manifestissime cōprobatur, quod medicamenta frigida loco dolenti administrando, persępe maximo sunt ęgrotanti iuuamento, & medicamenta calida eidem dolori adhibendo, dolor ille valde exacerbatur, quo fit, vt necessariū sit fateri, hos dolores tunc à calido humore fieri. Quoniam autem mihi videor multas, & quidem validiores rationes proposuisse ad hanc Fernelij sententiam retorquendam, propterea nè nimiùm longa sumatur oratio, immenso tum argumentorum, tum historiarum agmini cedere volui, concludens, quod Articulares morbi, ab humore nè dum pituitoso, & frigido fiunt, verum etiam à sanguineo, & bilioso, & attrabilari, quæ omnia superius enumerata excrementa, vel ab vniuerso corpore, vel in iecore, vel liene, vel ventriculo, aut ab vtero, & a renibus originem habent, & quandoque etiam à capite, & cerebro, à parte etiam intimiore cerebri, non autem perpetuò à capitis exteriore parte, vt Fernelius voluit, tum rationibus superiùs adductis, tum etiam in præsentia adducendis.

CAP.

Quod humores non perpetuo à capite, vel à parte exteriore capitis originem trahunt, contra Fernelium. Cap. VIII.



IAM enim demonſtratum eſt, Articulares, & Podagricos affectus produci à ſuppreſſis menſibus, & hęmoroidarum aſſueta purgatione intercępta; Ergo non perpetuo à ſolo capite, excrementa tales affectus producentia originem ducunt. Præterea, ob id etiam ratio non poſtulat, vt eadem excrementa, quæ in venis hęmoroidalibus, vel in vtero detinentur, coaceruanturque, antequam ad genua, vel ad pedum articulos prolabantur, ad caput prius aſcendant, & poſtea ad illas partes defluant, hoc enim eſſet ridiculum imaginari: Et idem eſt intelligendum, quando dolores renum, ventriculi, atque inteſtinorum, in articulorũ doloribus vertuntur, teſtantur enim hoc, Hyppocrates, & Galenus 4. libro in 6. Epid. cap. 3. quoniam abſurdiſſimum eſſet opinari, materiam tales affectus producentem, antequam ad articulos pedum irruat, prius in caput defferri, quia natura agrauata, faciliorem ſibi aditum ad exonerandum requirit, & parat facilior autem aditus naturæ eſt ille, qui per breuiorem viam, & rectitudinem fit, at materiam, vel vterum, vel ventriculum, vel renes occupantem, ad genua, vel ad articulos pedum per viam capitis propellere eſſet potius naturæ opus valde difficilè, & laborioſum. Ergo Fernelij opinio rationi conſentanea minimè eſſe videtur: propterea ego maximè optarem,

rem, vt vir iste acrimonia ingenij præditus, rationem saltem mihi redderet, qua nam necessitate, vel naturæ, vel morbi, coacti humores superuacanei, in visceribus geniti, antequam deferantur ad pedes, debeant prius in caput ascendere? Amplius, si vera esset hæc Fernelij opinio, ex necessitate sequeretur, quod nunquam dolores articulares, vel pedagrici succederent, ni prius signa ab eo proposita in capite apparerent, videlicet. *Capitis grauitas, somnolentia, dolor externus, & inuersis capillis acueretur in capite dolor, tumor ædematosus, interdum molis, vt cera, cuti præsertim ad occipitium subiectus, cutis densa, &c.* At non semper ex necessitate hæc signa in capite apparent, Quamobrem longè erronea est opinio hæc sua. Experientia enim quotidiana contrarium persæpe, & vt plurimum euenire videtur, quotidie enim practicando, frequentissime intueri potui, huiusmodi affectus accidere absque vlla in capite imaginabili ante acta alteratione.

Causæ externæ multitudinis excrementorum, à quibus Podagræ, & alij articulares morbi producuntur. Cap. IX.

A quibus causis excrementorum congeries generetur



SED perquiramus modo, à quibus nam causis hæc plenitudo in corpore, & congeries excrementorum generetur: vel enim loquimur de plenitudine simpliciter, de qua multis in locis loquutus est Galenus, præsertim tamen 4. lib. de tuenda sanitate & lib. 13.

me-

methodi medendi cap.6. & libro de plenitudine circa finem; Vel de malorum humorum plenitudine loqui volumus: de vtraque meum institutum est dicere, quia in istis affectibus omnes hæ locum habent. Plenitudo autem, quam Græci πληθῶραν vocant, à desidia, otiosa vita, pleniorique victu introducitur, vt Galenus testatur lib. suo de morborum causis, cap. 3. malorum vero excrementorum plenitudo, & exuberantia, à qua Podagra, & alij articulares morbi producuntur, ab externis, & internis causis fieri fas est dicere, à causis externis inquam, veluti à pigritie, à nimio otio, à vita valde à laboribus aliena, à crapula, à multorum, & generosorum vinorum potu, præcipuè cum aliquis ea ieiunus potauerit, ab ebrietatibus, & immoderato veneris vsu, vnde Virgilius dicere consueuerat.

Externa causa tum plenitudinis malorũ humorũ tum Podagræ & articulorum affectuum.

Vt Venus eneruat vires; sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

Ex desidia namque, crapula, Venere, & Vino, naturalis calor adeò frigessit, vt ferè ad extinctionem perducatur, vnde fit, vt ad concoctionis munera ineptior euadat, & ex consequenti crudorum succorum ingens copia progignatur; cùm autem malis istis humoribus corpora scatent, neque ob id à mala victus consuetudine dessistunt, necessarium est, vt in consimiles pernitiosos affectus incurrant. Præterea, inquit Galenus 6. aphorismorum supra trigesimo, quod vsus venereorum tantam vim habent in Podagræ generationem, vt mirum minimè videatur, si Hyppocrates dixerit, quod Eunuchi Podagra non laborant, & postmodum, neque pueri ante venereo-

rum

rum vſum. An verò hæc Hyppocratis ſententia noſtris temporibus verificetur, idem Galenus affirmat, quod Hyppocratis quidem tempore verum extitit propter vitæ moderantiam, At ſua tempeſtate etiã Eunuchi, & Pueri podagra corripiebantur, quamuis nullum haberẽt vſum venereorum, quod & nos quoque affirmare debemus, talis enim eſt eorum deſidia, & ingluuies, & ebrietas, vt etiam ſine venereis, & mulieres, quamuis menſtrua, illis non deficiant, podagra corripi poſſunt, & propterea optimo iure Celius Aurelianus, vir quidem occulatiſſimus, lib. 5. tardarum affectionum cap. 2. nolluit Eunucos, & Pueros à podagricis, & articularibus paſſionibus excludere, coitus itaque immoderatus, & potiſſimum qui ſupra cibum fit, præterquam quod innumeras ægritudines parere poteſt, tamen articulares dolores, & podagricos affectus concitare præſertim valet; & præter cetera aceti, & vini albi vſus, huic morbo fomentum præſtare videtur, ſunt enim veluti vehiculum malorum excrementorum ad articulos, cibaria etiam, quę corruptioni obnoxia ſunt, ex quibus humiditas ſuperuacanea facilè generatur, vt poma, perſica, melones, cuiuſcunque generis olera, & legumina, piſces, caro porcina: & omnes carnes pingues, & Auium pallustrium; Et ſecundum Apulei ſententiam comeſtio gallinarum, & coturnicum, quam proprietatem nullam aliam eſſe reor, quam humorum viſcidorum exuberantiam, quam ſanè huiuſmodi carnes parere aſſuetę ſunt. Inter externas cauſas quoque recenſere debemus, omnium aſſuetarum euacuationum interceptio, vt menſtruorum, hęmoroidarum, ſudoris, &

narium,

narium, & huiusmodi, & artefactarum purgationum intermissio, vt sectionis venæ, vel purgantium medicamentorum, & frequentis balnei. Præterea ægritudines valde longè, & cronicæ, & perperam curatæ, sunt in causa horum affectuum, vt plerumque videre est in disenteria, ex ea enim non rectè curata, pedum dolores sæpissimè succedunt. Quamobrem iure merito nos ducimur ad credendum, quod eadem ratione, qua humores irruunt ab intestinis, ad articulos (quod sanè sæpe in disenteria fieri consueuit) & sic ex disenteria, arthritis introducitur, ita eadem ratione, humorum ab articulis impetus, & fluor ad intestina, efficit, vt alui fluore accedente articulorum affectus discedant. Eliquationes, quæ fiunt in difficultatibus intestinorum, nisi rite purgentur, ad Articulos transferuntur. Aegritudines etiam non cronicæ hoc idem præstant, dolores enim colici in articulares, & podagricos vertuntur, vt ex Hyppocratis doctrina 4. in 6. de morbis vulgaribus parti. 3. elicere valemus. Et Paulus Aegineta lib. 3. capit. superius citato, inter has causas recordatur importunus, ac vehemens labor, longa, laboriosa, & intempestiua ambulatio, & æquitatus, & insueta frigidæ potio, qua Principes, & Aulici ex longa, & deprauata consuetudine vtuntur, quibus addere liceat animi curas, & cogitationes graues, atque perturbationes; vigilię immodicæ, somnus extra tempus, & consuetudinem.

Quæ nam sint causæ internæ perquiritur, Cap. X.



T autem ad internas causas oratio nostra conuertatur, dicendum est, quod causæ internę à triplici fonte scatent, nempe ab Humoribus, à Mēbris, & a Facultatibus. Tunc autē scatere ab humoribus dicimus, quādo ipsi exhuberant, vel omnes simul, vel vnus ab altero seiunctus, vt iam fusius à me declaratum est; Emanare autem à Membris ipsis, quando scilicet viscera, & interius principaliora membra per quamcunque causam, à sui naturali functione desistunt, & musculi, nerui, tendones, & articuli, vel dilatati, vel rari, vel laxi, aut lati in suis vijs reperiuntur, tales autem euadunt, vel propter percussiones, casus, propulsiones, & luxationes; quandoque enim torquentur, vel è suis mouentur locis membra, vel quandoque percutiuntur nerui, & tendones, & sic imbecilliores fiunt, & doloribus cruciantur, vnde in locis illis attrahuntur humores, vel ratione doloris, qui vim habet attrahendi. Vt Galenus testatur libro de curandi ratione per sanguinis missionem ca.8. vel quia ijsdem causis, musculi, nerui, tendones, & articuli facti sunt imbecilles, & laxi, & hac ratione humorum fluxiones admittunt. Præterea, à procatarticis causis etiam superius relatis, membra iam dicta imbecilliora euadunt. Talia tandem dicuntur esse à natura ipsa constituta, vel quia ab Auis, & Patribus podagricis originem traxerunt, quibus semen viciatum erat, atque ideò filijs vehementiorem fecerunt partium imbecilli-

Causa interna, & plenitudinis prauorum excrementorum, & Podagra, & articulorū affectuū.

cillitatem, vt Galenus 6. aphor. supra citato loco testatur. Et hac præsenti occasione non possum non mirari, cur Donatus Antonius ab Alto Mari, vir nostra tempestate clarissimus, talem præcipuè internam causam, in externarum numero reposuerit. Et tandem causas internas harum ægritudinum, à facultatibus fluere dicuntur, quando facultas expultrix, vt puta ventriculi, hepatis, vel aliorum internorum membrorum, valida, fortisq; est, vel nimis imbecillis. quando fuerit fortis, tunc temporis ad membra debiliora, veluti ad articulos superfluitates eorum expellunt. Galenus enim in libro Hyppocratis de natura humana comento 2. membra fortia inquit, si superfluos a se humores depellant, ad debiliora deponuntur, & Auerroes septimo collectaneorum, cap. de ægritudinibus stomaci. *Consuetudo est (dicit) vt fortè membrum suas superfluitates ad debile proiciat, & maximè, si ad hoc adiuuat locus, & via, quæ ad ipsum confluunt.* per Locum, nos intelligere debemus articulos, neruos, & tendones imbecillos, qui excrementa recipiunt; per Vias autem, musculos dilatatos, patentes, & laxos tendones. talium excrementorum defluxum admittentes, quando vero facultas retentrix fuerit imbecillis, tunc humores crudiores, & male, administratos relaxat, & hæc sint satis pro causarum, tam externarum quam internarum exacta cognitione.

De causis Podagræ, & Chiragræ Nodosæ. Cap. XI.

QVONIAM quandoque Articuli digitorum Manuum,& Pedum inflantur,atque tumidi fiunt,& postea adeò duri efficiuntur,vt in tophaceam,& veluti lapidosam substantiam transeant, & nigricantes quodammodo euadunt, atque in obliquas partes, vel aliquoquo modo contorti vertuntur. Et quandoque fit;vt humores mucosi,vissidi,vitreique colligantur in eorundem digitorum articulis,& poros generent,qui in lapidosi tophi naturam euadunt, cutimque in ijsdem partibus distendendo, ac erumpendo,Tumidam, & proeminentem faciunt, & quamuis chirurgicis instrumentis extrahantur, tamen regenerantur de nouo, & materia, quæ exit interdum,gipsea,interdum vero ad grandinis similitudinem apparet;propterea non erit inutile horum affectuum causas perpendendo, recensere; quod vt ordine iam superiùs instituto vtar, illarum alias externas, alias vero internas esse statuo; in externarum serie,adest pigricies,otium, vita à laboribus aliena,crapula,hebrietas,& omnes alij inordinati cibariorum esus, & male victus rationes, à quibus incocti,crassi, vissidi, glutinosique humores generari apti sunt, qui deinde per assationem in terrestrem duriciem verti facillimè possunt, vt Galeno placuit 14 methodi medendi cap.4.vel etiam in eandem duriciem transmutantur,propter vsum medicamentorum,vel admodum calefacientium,& exicantium,

tium,& reſſoluentium, vel ob adminiſtrationem medicamentorum nimis ſtupefacientium, & torporem inducentium. Cauſæ autem internæ, ſunt humores viſcidi,& glutinoſi,qui in corpore abundant,& membra interna principalia, ſcilicet cerebrum, ventriculus,iecur,lien praue affecta; Muſculi,tendones,neruì, & articuli imbecilliores redditi, & facultates membrorum,vel nimis robuſtæ,vel admodum imbecilles; Et vt ab humoribus auſpicemur,cum ſint glutinoſi, & craſſi, dum reſident in articulis adeò craſſeſcunt,vt in duriciem contumaciſſimam tranſeant;adhærent autem præcipuè in articulis digitorum, vel manuum, vel pedum,propter illorum inſignem imbecillitatem, & ab internorum membrorum facultate, vel nimis robuſta tranſmittuntur, vel admodum inualida, crudiores relaxantur; & tandem generantur tophi in articulis, vt Galenus inquit, primo de alimentorum facultatibus cap. 5. ea ratione ferè, à qua in renibus lapilli fieri ſolent.

Contra Ambroſi Parei ſententiam cauſæ occultæ Articulares morbos producentes refelluntur. *Cap. XII.*



MBROSIVS Pareus. Pariſienſis, Chirurgus Regius, & primarius,prçter cauſas à me ſigillatim enarratas, opinatus eſt, arthritidem, & podagram à quadam occulta, venenata, & maligna, inexplicabilique materiæ qualitate prouenire, & hoc Auicennæ, authoritate

fretus

fretus, cum lib. 3. fen. 22. tractatu 2. cap. 5. proferat *Arthridis speciem* quandam esse, cuius materia adeò acuta, & maligna sit, *vt si aliquando animi irati impetu exacerbetur, subita morte homini necando sufficiat*. hanc porrò suam opinionem corroborans Galeni mente libro de Theriaca ad Pisonem cap. 15. vbi habet. *Theriacem podagricis, arthriticisque omnibus ex vsu esse*. Nulla alia ratione ductus, nisi quia desficat, obtundit, & consumit huiusmodi materiam virulentam, quàm profectò opinionem, pace tantæ auctoritatis viri, falsam, & erroneam esse iure merito censeo, quod duplici ratione demonstrare non erit admodum difficilè; tum quia causæ ab eo relatę, quę podagram, & arthritidam faciunt, occultæ minimè sunt existimandæ, tum etiam quoniam materię illę malignę, venenatę, atque virulentę pręcipuè, ac per se ipsę Morbos articulares, & podagricos non constituunt. Quatenus ad primum spectat, rationi valde esse alienum iudico, ęgritudine vndequaque conspicuę, caussas latentes proponere, si enim morborum causę abditę essent, frustra illorum ablatio vtique tentaretur, pręterea, quibus nàm pręsidijs, ac medicamentis ad causas occultas euertendas vti poterimus; à causis enim conueniens curatio indicatur, hoc sanequàm clarissimum est, & à nullo vnquam reluctabitur, idcirco ex omnium pręstantissimorum Medicorum consensu, & pręcipuè Galeni 10. Methodi medendi cap. 1. & primo de arte curatiua ad Glauconem cap. 15. idem confirmatur; Pręterea, iam ab omnibus grauissimis artis medicę institutoribus decretum fuit, quod vt morbi articulares concitentur, necessarium est

(com-

(compendioſo ſermone repetendo, ea quę à me fuſius dicta ſunt) vt excrementorum copia adſit, & membra huiuſmodi excrementa generantia, & repellentia, & alia membra, quę ſui imbecillitate taliũ recrementorum fluxum admittant. Hę ſunt cauſę potiores ab omnibus enarratę, & ſi alię adſunt, omnia ad hęc reducuntur, quę ſanè omnibus patentiſſimę ſunt, & alię prę ter has minimè recenſentur; Quamobrem cum prę ter iſta, nulla alia cauſa reperiatur, & omnia ſint clara, neceſſarium eſt fateri, huiuſmodi affectus non poſſe ab occulta cauſa, vt inquit Pareus, produci, Verum quoniam fortaſſe Fernelij ſectatores pro Pareo ipſo facilè inſurgere poſſent, dicentes quod cauſę occultę minimè ſunt ſpernendę in omnibus, & pręcipuè in his affectibus, inter quas (poſt habito contactu) & aer ipſe, & venenata materia, ſunt recenſenda, cui opinioni ſic mihi reſpondendum eſſe exiſtimo, quod quando pro certo habemus, aerem articularium morborum in cauſam eſſe, tunc illum minimè inter occultas cauſas, quin potius inter manifeſtas eſſe habendum, vnicuique patebit, quoniam tunc aer morborum cauſa eſt, quando vel in caliditate, humiditate, ſiccitate, & frigiditate nimis alteratur, vt videre eſt apud Hyppocrat. 3. aphoriſmorum aphoriſmo 20. vſque ad 25. aeris enim alterationes vim habent contrahendi, & fundendi humores, educendi ad cutim, & ad membra debiliora. conſtipandi cutim, & putredinem generandi; Præterea contaminatur aer, quando ab aliqua euidenti cauſa putreſcit, verum de hac poſtrema alteratione non loquimur, quoniam non eſt noſtrum inſtitutum de morbis contagioſis

tagioſis

tagiosis verba facere; quare quoquo modo aer alteratur, & est in causa alicuius affectus non est dicendum, causam illam esse inconspicuam. Ad venenatam autem materiam accedens, dico, quod si venenata materia est causa occulta, nescio qua ratione ita venenata appelletur, demiror equidem Fernelium, & eius sectatorum opinionem, cur ita nomen veneni, quod manifestum est, rei occultæ attribuant, omnibus enim inconfesso est, materiam virulentam, eruginosam, quæ naturam veneni sapit, in nostris corporibus fieri ex atra, & flauabile, & crasso sanguine supramodum assatis, & exustis, ex improbo victu, & ex pestilenti aere; propterea venenata materia, non inter latentes, vt Pareus, & quidam alij opinati sunt, verum inter patentissimas causas, est reponenda. Non video præterea, quomodo huiusmodi maligni, venenatique humores præcipuè, ac per se ipsi valeant affectus podagricos, & articulares facere, ratio enim impromptu est, quoniam maligni, & ęruginosi humores non producuntur, nisi ex ingenti assatione, & adustione, vel sanguinis, vel flauæ, vel atrę bilis; supramodum autem assantur, & aduruntur propter febris magnitudinem, confirmatur enim hoc, authoritate Galeni in primo prorrhetici Hyppocratis, comento primo, supra particula 10. & in 6. de morbis vulgaribus comento primo, supra particula 6. & 7. aphorismorum supra aphorismo 6. & multis alijs in locis: necessarium itaq; est, antequam humores æruginosi, & virulenti, ac venenati fiant, vt febris prius accendatur; ergo consimiles humores, neque primo, & per se, neque tanquam causæ occultę articulares, & podagri-

cos

cos affectus concitare possunt, vt Ambrosius ille Pareus affirmare nititur: nec obstat, vt pro suæ opinionis confirmatione, simulatam Auicennæ authoritatem in medium afferat. quoniam Auicennas, nusquã occultam causam arthritidis proponit, & præcipuè in loco ab illo relato: quantum autem huic proposito in fine capitis à Pareo, in Auicẽna adducto, omni sedulitate obseruando, intueri potui, huiusmodi sententiam reperi, quæ sic se habet; *Et podagra quidem colerica attrahit mortem subito*, ex qua nullam profectò causam occultã inuenire possum: clarissimè enim podagram colericam, exitialem appellare videtur, quia testatur quod de repente mortem inducit, si naturam huiusmodi coleræ perpendere volumus, & illam in serie venenatorum excrementorum reponere, statim causam esse manifestã, rationibus superius enarratis confiteri tenemur. Nec vim faciunt verba Galeni, loco superiùs citato, vbi dixit Theriacam omnibus arthriticis, & podagricis ex vsu esse, quia materiam virulentã desiccat, obtundit, & consumit, si namque per huiusmodi facultates necessarium est vt operetur, ad virulentum humorem debellandum, nulli reuocatur in dubium, quòd materia illa virulenta à Pareo proposita, non est tanquàm causa occulta consideranda, alioquin Theriacæ facultates specificæ ab illo propositæ, frustra requirerentur, & essent superuacaneæ.

De signis Articularium affectuum in vniuersali.
Cap. XIII.



MPOSSIBILE est, morbos ignotos opportunis remedijs profligare, quamobrem, vt articularium morborum elaboratam, atque exquisitam curationem, quantum in me est, tradere valeam operę pręcium esse duxi, prius vniuersalia signa horum affectuum demonstrantia, sigillatim examinando, in medium proponere; postea vero ad particularia descendere, cuius rei causa animaduertendum est, quod ex ijs.

Quædã signa desumũtur vel

Ab intemperie inæquali simplici sine materia, quę erit, vel calida, frigida, humida, sicca.

Dato & nõ concesso, quod morbi articulares ab intemperie producantur sine materia, membra male affecta colore non mutantur, nullum pondus, aut vlla grauitas aderit, & nulla apparebit inflatio, secundum Auicennę sententiam, qui tamen per raro huiusmodi affectus a sola intemperie prouenire fatetur; ego vero cum Galeno, & Aetio huiusmodi signa prætermittam; quoniam cum à fluxione, affectum hunc fieri constet, & fluxio absque materia fieri nequit, propterea signa intemperiei simplicis sine materia à me minimè erunt consideranda.

Quæ-

A spiritu flatuoso coarticulationib⁹ occluso, neruos, & vincula, & musculos distēdente — Qui veluti vnitatis solutionem patiens ingentes dolores affere solet, & propterea iste vocabitur dolor tensiuus, propterea quia persæpe flatus à materia producuntur, & si aderint flatus, membra læsa erūt tensa, & ita permanebunt, dolorq; per ambulabit, atque eo magis id erit suspicandum, cum ratio victus; flatus fuerit generatrix; Amplius sonitus in Hyppocondrijs aderit, qui æquidem manu comprimendo non difficilè persentitur, quoniam autem, & à flatibus, & ab humoribus dolor simul produci potest, propterea tensiuus simul, & grauatiuus interstinguitur.

à materia quę multiplex esse potest, vel enim est sanguis, qui sanè vel est.
- Purus
- Nō purus
  - cum bile permixtus
  - cum pituita, quę aut est.
    - dulcis
    - cruda
    - salsa
  - cum Malencolia
  - cum miscella humorū

De signis particularibus, & primo signa à sanguine puro dessumpta examinantur.

Cap. XIIII.



I articulares, vel podagrici affectus à sanguine puro, ac sincero originem traxerint, tunc dolor erit extensiuus, cum pulsatione quadam; non quidem superficialis, sed potius profundus valde: mane præsertim, quam hora alia infestans, qui frequenter, & continue exacerbatur, neque medicamenta admodum refrigerantia, neque calefacientia, sufferre poterit, color membri male affecti circa cutim erit rubicundus valde, dummodo materia in profundo non delitescat, cum caliditate moderata, quę ad tactum facillimè persentitur; & plenitudo in eodem loco, & venarum tumor apparebit, non sine grauedine, & ponderositate, & ęger quandoque in fronte, & in facie sudorem emittet; atque interdum a somnolentia, & capititis grauitate turbabitur; in ore, lingua, atque palato quandam exiguam dulcedinem degustare videbitur. Et hęc omnia euenire solent in adolescentia, & ad multi sanguinis generationem idonea, vsq; ad virilem ętatem, in temperata regione potius, vel in tempore veris, vel in consimili constitutione pręcessa. Victus ratione anteacta ad sanguinis vbertatem gignendā idonea, eius pulsus apparebit magnus, plenus, vndosus, mediocrem inflammationem pręseferens; Vrina rubea, & moderate crassa apparebit cum subsidentia ad albedinem inclinans, & cum nube suspensa in medio existente.

Signa

Signa à Bile deprompta. Cap. XV.

SI autem à Bile, dolor manifeſtabitur lacerans, acutus, pungitiuus, acris, & valde intenſus, ad diferentiam doloris à ſanguine producti, exacerbatur autem magis de tercio in tercium diem, iuſta humoris bilioſi naturam, cui, febris facillimè in ſtatu acceſſionum introducitur, cum ſiti ingenti: prętereà amaritudo in ore, lingua, atque palato ab ęgrotante deguſtabitur, & acuitas, acerbitaſque doloris talis erit, vt vim habeat efficiendi vigilias, deliramenta, animi deliquium, & ſincopem, quę ſęuiſſima accidentia ſunt: huiuſmodi namque dolores à bilioſo humore procreati, triſtem ſenſationem vlceris annexam habent, Color membri cruciati ad citrinitatem tendet in parte exteriori cutis, abſque vllo ferè, vel ſaltem paruo tumore. Calor tactui pungitiuus, ac mordax ſentietur, hæc autem caliditas, non quidem mediocris, ſed intenſa, atque acutiſſima, à calidis medicamentis ſæuiſſimè exarcebatur, & placidiſſimè proculdubio à frigidis remittitur, & ſubleuatur. Et hęc fiunt in corpore temperaturę bilioſę, vt puta calidę, & ſiccę, in ętate iuuenili, vſque ad principium ſenectutis, cui, animi, & corporis motus violenti pręceſſerint, cum ratione victus bilem generante, in calida, & ſicca regione, & eſtiuo tempore. Et pulſus velox erit, non ſine aliqua exigua duricie, Vrina erit colorata, & tenuis veluti ad auri ſimilitudinem, & quandoque fulua cum ęgeſtionibus bilioſis.

Signa à Pituita dulci elicita.

Cap. XVI.



PITVITOSVS autem si fuerit humor, & pituita si dulcis fuerit, tunc temporis dolor non erit ita acutus, & pungitiuus, sicuti de alijs calidioribus humoribus dictum fuit; motus tamen articulorum difficiles fiunt, cum dolore potius remisso, & mediocri, cum quotidianis exacerbationibus; qui per plures horas perdurant, & nunquam dolor ipse remittitur integrè, cum breui intercapedine, Color cutis loci affecti nō erit admodum à statu naturali alienus, ad albedinem potius vergens, tumor aderit ędematosus; Et vt huic proposito iure inquit Fernelius, qui in multis alijs errauit, mollis vt cera cū pauca, remissa, & ferè insensibili caliditate; os, lingua, atque palatum languentis insipida erit, & ea, quæ degustabit, insipida illi videbuntur. Et hæc euenire solent in ætate ad senectutem inclinante, in tempore frigido, & humido, in consimili aeris statu, atque in hyberno tempore, quibus vita otiosa, & absque vllo motu præcesserit; præcessere etiam vsus ciborum crassę substantię, frigidorum, & humidorum, pulsus molles, varijque ad tactum apparebunt, vrinę colore remisso, crassę substantię, & vt plurimum perturbatę, cum excretionibus pituitosis, & mucilaginosis.

Signa à pituita salsa. Cap. XVII.



I autem salsa fuerit pituita, dolor paulo erit acrior, quotidianus tamen, calor cutis aliquantulùm intensior, tumorque nõ erit admodum dissimilis ab illo, qui à pituita insipida progignitur; cum aliqua circa cutim pruriginosa mordacitate, quæ ad scalpendum ægrum inuitet; pulsus non ita molles, neque ita diuersi; Vrinæ conturbatæ quidem, paulo tamen tenuiores, cum subsidentia aliquando crassa, excrementa proculdubio pituitosa, verum tamen aliquam caliditatem præseferentia, os, lingua, atque palatum salsedine præditi, & quæ degustabit, salsa apparebunt.

Signa à melancolico succo. Cap. XVIII.



Aro æquidem morbi articulares, & podagrici à melancolico succo concitantur, & ratio est, quia talis humor cùm maxima difficultate mouetur, & fluxibilitati est valde inæptus, & ad iuncturas impossibile est quin possit absque insigni labore, & conatu fluere, quando tamen euenit casus, vt affectus podagrici, & articulares, à tali prauo succo succedant, Dolor affecti membri paruus erit, absque vlla penitus inflatione, grauitas tamen atque stupiditas quædam persentietur, & huiusmodi exacerbantur alterationes de quarto in quartum diem, cutis superficies quandoque liuida, quandoque nigra apparebit, frigiditas ad tactum

mani-

manifeſtabitur; in ore lingua, atque palato acerbitas aderit, & quæ manducabit, guſtui acerba erunt: Et hæc euenient ne dum in ætate virili, verum etiam ad extremum ſenium cadente, in frigida, & ſicca temperatura, in fine autumni, atque in hyeme frigido, & ſicco, & in regione conſimili; immodicis laſſitudinibus anteactis, atque ædulijs bilem atram generantibus, cumq; appetitu valdè intenſo, & veluti inſatiabili; Pulſus duri, & tardi in ſuo motu erunt, vrinæ in principio erunt tenues, & ad aquæ ſimilitudinem, in progreſſu autem atriores, cum aliqua craſſicie, cum ſedimento fuſco, ægeſtiones atræ ſupercoctæ, atque mucoſæ.

Signa miſcellæ humorum: Cap. XIX.

SIGNA permixta tùm in dolore, tùm in exacerbationibus, coloribus, & caloribus ſpectantur; noſce porrò operę pretium eſt, inquit Aetius, quod aliquando fluxus fluxui commiſcetur, aut calidus frigido, aut viciſſim frigidus calido, & ſecundum vtriuſque horum qualitatem, exacerbationes fiunt; & continget quandoque, ægrum bis in die exacerbationum acceſſionem ſentire: quo quidem in caſu, Medicus accuratiſſimus eſſe debet in veritate huius negotij indaganda, nè decipiatur, quoniam valde obſcurum, perdifficileque admodum eſt, miſcellam humorum interſtinguere; ſibillæ enim opera indiget inueſtigare, ſi varij adſunt humores; quis nam illorum ſuperet, ac prædominium habeat, & hoc pręſcire maximè

ximè est necessarium ad medicamenta imperanda, vt administrentur. Præterea in humoribus mixtis, calor, colorque membri læsi Medicum non parum decipiet, nàm exempli gratia, si bilis cùm pituita permisseatur, non alienum à ratione erit, vt bilis ipsa ad membri male affecti circunferentiam, & superficiem propellatur, cuius causa, rubedinem, & colorem citrinum ostendat, caloremque mordacem prębeat, & tamen in interiori parte pituita residendo, non leuem dolorem efficiat, ex quibus potiùs exterioribus signis, bilem doloris esse causam falsò opinaretur, materia enim, in profunditate membri existens, est illa, quæ dolorem efficit, & prædominium habet, & caloris, & coloris membri læsi superficiem pro aliquo temporis spatio non mutat. Quare à calore, & colore, vel frigiditate membri nullum certum inditium elici potest. Veluti quandoque bilis commixta pituitæ erit illa, quæ præcipuè cruciando infestabit, cùm tamen prauè affecta membra, in eorum superficie pallida, albaque videantur, tepidiora, vel frigida potius ad tactum appareant, & hoc non ratione humoris biliosi iam fluxi, prædominantis, qui intimiores occupat partes, sed aeris nos ambientis frigiditate, vel alterius externæ rei causa. Cùm igitur talia signa sæpissimè Medicos decipere soleant, idcirco nos iure optimo ad rationem victus iam præcessam debemus confugere, ad totius corporis temperiem dignoscendam, ad ætatem, temporum constitutionem præsentem, & iam cursam; ad vrinæ qualitatem, & ad reliqua alia ad id attinentia omni sedulitate perpendenda, Vrinę pręsertim exuberantem, & prędominan

tem humorem patefacere facillimè possunt: verùm quoniam inspiciuntur interdum albę, ac tenues, & valdè perspicuę, in quibus quędam albę, atomosę innatantes materię commiscentur, & ita albę spectantur, quoniam, aut à iuncturis proueniunt, aut à materia frigida pituitosa, in ijs ressoluuntur, rotundę vero, & atomorum figuram pręseferunt, quoniã exẽpli gratia sicuti minerale aurum, quod in quibusdam fluuiorũ arenulis inspicitur, per continuã reuolutionẽ in paruis rotundatur granulis, ita ressolutiones illę atomosę, atque rotundę propter ipsarum in dessensu continuam reuolutionem ad formam rotundam atomis similem facillimè reducuntur, quod si bilis, aut sanguis fuerint, pręd ctę illę atomosę ressolutiones, rubeę, aut sub rubeę, subcruentę, aut subflauę apparebunt. At si caliditas talis, tantaque fuerit, vt humores colliquescant, materię ille rotundę innatantes, & commixtę vrinis, pręterquàm quòd rubeę, & adustę spectabuntur, vrinę quoque rubeę, crassę, & coliquatiuę inspicientur; tandem, Si turbatę, aut liuidę fuerint vrinę, inferiores iuncturas, & articulos laborare argumentum est, quoniam humores, qui tales affectus progigniunt, per spinalem medulam, ad inferiores articulos defluentes, per vrinas etiam aliqua ex parte exeunt, quamobrem ita turbatę, & liuidę fiunt.

Signa ab ægrotantium relationibus desumpta.
Cap. XX.




XPLORATVM autem omnibus esse debet, quod signa ex vrinis deprompta, per se sola non sunt valida, atque idonea ad essentiam, & naturam podagrę, & cęterorum articularium morborum demonstrandam, signa namque superius proposita maximè necessaria sunt, & quę ab ęgrotantium relationibus elici possunt, propterea, & de his sermonem instituere debemus, quę in duplici sunt differentia, quędam circa partes lęsas versantur, quędam vero circa membra illa, à quibus humores originem trahunt, & ad affectas partes defluunt. Signa porrò quæ à locis affectis eliciuntur, ipsi languentes suis quærimonijs planè manifestabunt, quia dùm dicent sibi manus dolere, erit signum chiragræ, dum vero genua erit signum gonagræ, pedum autem podagræ absque dubio erit nota, si tandem crura, brachia, dorsum, & alia membra simul sibi dolere dixerint arthritidis indicium erit, talia namque sola signa scire non sat est, sed vlterius à nobis est inquirendum, an videlicet humores in cauitatibus articulorum redundent, vel in ligamentis, aut sub eorum membranis; nulli reuocatur in dubium, quod si tumor internus fuerit, & non ita de facili perceptibilis, quod humores, vel in cauitatibus, vel in articulorum membranis erunt fluentes; Si tumor fuerit externus, perceptibilis, & euidens, absque difficultate humores in ligamentis redundabunt. Præterea si ægrotantes dixe-

rint, se dolorem in superficie percipere, signum erit humores in ligamentis consistere; Si verò fateantur dolorem intimiorem, ac in profundo persentire, tunc erit certum signum humores in articulorum cauitatibus, & membranis permeare. Prӕterea si affirmauerint, quod dolor partem affectam comprimendo, exacerbatur, tunc erit indicium humores in superficie reperiri, si verò comprimendo non augentur, signum est, quod humores per intimiores partes fluunt; Si tandem affirmauerint ӕgrotantes se cum difficultate, & labore membra, & luxata, & praue affecta mouere, signum nobis prӕbent humores in articulorum cauitatibus dilabari, & ossium ligamenta labefactata, & laxiora reddita, & madefacta esse, quẽadmodum Galenus 6. aphorismorum vltimo manifestare videtur.

Signa, à quibus partibus nostri corporis humores originem ducunt, demonstrantia.

Cap. XXI.



SIGNA verò, quӕ nobis postremo loco demonstrant, à quibus nàm partibus nostri corporis, veluti à fontibus humores erumpere solent, & ad partes lӕsas fluere, magna ex parte ab ӕgrotantium responsionibus inuestigantur: Quamobrem, si ipsi retulerint, se prius à febre fuisse cruciatos, & postea in dolores pedum, manuum, & coxarum incidisse, hoc erit indubitabile signum, huiusmodi doloris initium habuisse ab humori-

moribus per vniuersum corpus diffusis. Si de capitis grauitate, dolore, & somno profundo, & alijs consimilibus antea conquesti fuerint, quam in ijs doloribus incurrerent, quis negare poterit, humores aliunde, quàm à capite prouenire: quod si alij affirmabunt; se assuetos per hęmoraidas copiosè expurgari, & fœminę per sanguinem menstruum, & post illas assuetas purgationes interceptas, in ijs affectibus incidisse, hoc erit signum humores ab interceptis hęmoroidarum, vel mensium purgationibus prouenire, & hoc idem de cęteris alijs consuetis purgationibus supressis intelligere debemus; pretermitto enumerare, quę de doloribus collicis, & renum antegressis, dici possent. Et hęc satis dicta sint circa signa podagrę, chiragrę, & aliorum Articularium affectuum declarantia.

Corpora ad articulares morbos parata manifestantur. Cap. XXII.

CORPORA ad Articulares morbos magis propensa, & parata inuestiganda sunt; quia maximum momentum ad procreandos morbos habet corporis aptitudo, & dispositio, dicebat Galenus; vt autem in hoc negotio peragendo, ordinem aliquem seruare valeam, omnia quę sunt accurate consideranda in medium afferam, pro cuius rei certiore intelligentia inquirenda est Temperatura, Habitudo, Aetas, Sexus, Status, Tempus, & Regio. Quantum ad temperaturam attinet,

corpora calidę,& humidę temperaturę,vel naturalis, vel adfititiæ ad hos affectus magis videntur esse parata,quoniam ad repletionem faciendam, & ad cruditates gignendas videntur esse magis prona;deinde corpora frigida, & humida succedunt, quatenus ad prauorum excrementorum multitudinem congerendam maximè valent. Verùm quoniam temperaturæ,habitudo annectitur, idcirco pinguia corpora, & obesa,& dilatatos meatus habentia,à genitoribus,& Auis podagricis originem trahentia, ad has ægritudines sunt valde inclinata. Circa Aetates, senilis procliuior est, quàm aliæ ætates, namque in ea calor naturalis cum valde imbecillis fit, illius causa cruditates, pernitiosaque alia quamplurima excrementa multiplicantur,quæ cum probe administrari minimè possint,necessarium est,vt à facultatibus omnibus, & præcipuè concoctrice,& retentrice relinquantur, & relaxentur,& ex consequenti distillationes,& fluxiones prauorum humorum ad imbecilliora membra fiant. Huic iuuenilis ætas succedit,quæ cum in omnibus vitæ ordinibus,peculiariterque in coitu erret, quid mirum si in tales affectus incautè, facileque incurrendo,valdè propensa est? Et inter Maris,& Fœminæ sexus,Virorum corpora huic morbo magis obnoxia sunt, quia violentiores efficiunt motus, & varias,insignesque subsistinet labores. Mulieres enim à tali non corripiuntur morbo, nisi menses prius defecerint,menstruorum verò expurgationum naturali auxilio,à tali affectu immunes viuunt. Viri autem, licet,& ratione magis quã Fœminæ valeant, quia libidinosè suos omnes sensus explẽdo, sibi ipsis tamen

hunc

hunc morbum accerſunt. Sexui ſtatus aſſociatur, propterea corpora ex diuturna, & cronica ægritudine infirma, & male curata, & præpoſtero ordine cuſtodita, ad has ægritudines procreandas maximè parata ſunt, in ijs enim ferè omnia viſcera à ſuo naturali ſtatu recedunt, ventriculi facultas concoctrix eſt diminuta, hepar calidior, quàm naturæ leges poſtulant, cerebrum humiditate, & frigiditate excedente, laborat, & ſic de cęteris alijs principalioribus membris, quæ, cum à naturali ſuo eſſe longè recedant, neceſſarium eſt, vt continuò praui ſucci multiplicentur, qui tandem articulares, & podagricas ægritudines pariant. Tempus autem opportunum ad has affectiones in noſtris corporibus introducendas eſt Veris, & Autumni ex ſententia Hyppocratis 6. aphoriſmorum 55. Verè enim facilè humores funduntur, qui per Hiemem coaceruati fuerant, & viæ reſſerantur, quibus à nobilioribus, ad imbecilliora detruduntur. Autumno quoniam humores frigore accedente, & conſtipante multiplicantur, & qui æſtatis calore facillimè tranſpirare aſſueti erant, à ſuperueniente frigore Autumni exprimuntur, & ad imbecilliores partes, veluti ad Articulos pelluntur: Quamobrem ſicuti humores, qui per hiemem coaceruati fuerant, ſui copia, & aliena qualitate infeſtantes, Verè funduntur, & podagrici dolores pariunt, ita haud ſecus vitioſi ſucci, qui æſtiuo tempore, quo fructus maturantur, congeruntur, eoſdem dolores concitant; propterea iſta duo tempora, ad fluxiones paratiſſima ſunt, & præcipuè ad articulos laxos, humores commouere, faciliora. Regiones denique ad Articulares affectus produceu-

ducendos aptiores consequuntur, à Diuino Hyppocrate libro de aere, aquis, & locis satis superque enarratę, inter quas, vna in quadam Europæ parte reperitur, quam Sytharum, ac Nomadum gentes incolunt, iuncturas, neruosque humiditate refertos, & inefficaces habentes, quorum musculi lati, laxique sunt, propterea quod gentes illę in infantia fascijs non colligantur, & quando adultiores fiunt, in perpetua desidia degunt, & hoc ob aeris continuam humiditatem, & frigiditatem euenit, aer namque humidus totum ferè diem terram occupat, & hiems ipsis est quasi perpetua, quia nix, glaciesque semper viget, & venti continuo humidi, ac frigidi spirant; ęstas illis paucissimis diebus perdurat, corpora namque omni tempore aerem aquosum, & condensatum attrahunt, bibuntque aquam à glacie, & niue resolutam, pars enim illa in planicies eminentiores, & nudas sub ipsis Vrsis accliues sita est, nec vllis montibus circumsepta, propterea gentes illę inertes, ita sunt musculis, neruis, & iuncturis dispositę, vt articularibus morbis facillimè corripiantur. ex ijs etiam alij ex nimia equitatione à diuturnis doloribus vertebrarum, maximè & pedum corripiuntur. Adsunt & alię regiones ab eodem Hyppocrate propositę in nonnullis alijs Europę partibus positę, vbi terra crassa est, & mollis, & aquosa, & quę sunt valde sublimes, & quę æstate calidæ sunt, & hieme frigidæ, homines carnosos producentes, quibus articuli maximè sunt apparentes, humidi, & laboris intollerantes. Et Cælius Aurelianus libro 5. cap. 10. fatetur huiusmodi morbos in Alexandria, & Caria frequenter vigere: miror tamen cur

Vir

Vir tanta doctrina clarus, nullam rationem afferat, quoniam, an Alexandria possit tales ægritudines parere, in dubium vertitur; in terminis enim Regionis Africæ, & Aegypti posita est, interiacet inter Aegyptum, & Mare; &, vt Strabo libro 17. suorum Geograficorum attestatur, duo maria vndique aluunt, alterum à Septemtrione, quod Aegiptum dicitur, alterum à meridie, quod Mariæ lacus, & Mareotis appellatur, & propterea aeris potius temperies accedit, neque ab vllo maligno vapore opprimitur; nam cœnum, quod in labris lacuum quandoque concreatur, ex Nili excrescentia abluitur, & cùm Nilus augetur, augentur etiam lacus. præterea æstate Etesiæ etiam à Borealibus partibus, & pelago flant, vnde ob id ratione aeris, Alexandrini optimè vitam degunt, propterea non sat habeo, quo nam pacto aeris temperies Alexandriæ aptior sit ad articulares, & podagricos morbos producendos, nisi fortasse hoc vitium, illi sit potius ob malam victus rationem præcipuè attributum, quam Galenus pluribus in locis describit, & præsertim 2. aphor. 2. & libro de arte curatiua ad Glauconem cap. 10. inquit enim, quod Alexandrei farinam elixatam comedunt, & lentem, & cocleas, & poros, & plura salita cibaria, & carnes asininas, & alia, quæ crassos humores generant; & quoniã optimi vini ferax est, & vinum austerum superbibunt, à quibus mala generantur excrementa, & cruditates, quæ postea tractu temporis podagram, & chiragrã introducere valent. Præterea Caria, quæ prouincia est minoris Asiæ ad Meandrum, versus occidentem sita, in quadam eius parte, versus Mediterraneum in

Regione Cabalensi,apud Hierapolim,terra quædam resoluta,putris,& salsugine plena reperitur, & quæ facilè igni corrumpitur, & propterea Mæander flexuosus est, & alucus multas recipit mutationes, & multum limum deducit, qui modo huic,modo illi ripæ adhæret,in illis locis calidæ aquæ scaturiunt,quæ facillimè in tophos durantur, ex quibus necessariũ est fateri,regionem illam adeò esse calidam, vt ob illius aeris acrimoniam,& aquæ caliditatem,humores eorum qui in illis locis vitam ducunt, facilè funduntur,membraque principaliora alterantur, & musculi dilatantur, vnde, nè dum ad cutem currunt, verum etiam ad omnes ferè iuncturas præcipitant,& articulares dolores pariunt. Sed quid porrò de Romano aere mihi dicendum remanent? nisi quod crassus est,humidus valdè,australis,inæqualis, & ad cerebrũ frigidiori,humidiorique intemperie afficiendum admodum aptus, & ad distillationes concitandas, & ex consequenti, vt Galenus dicebat, ad neruos, membranas,ac tendones laxos faciendum, quibus & vini generosi varietates,& omnium rerum vbertas, & luxus ad consequentes affectus progigniendos concurrunt; nè autem huic proposito prolixiore sermone vtar, quamplurima alia Italiæ loca recensere prætermittam, tanquam omnibus vulgata, quæ ijsdem fluxionibus, & distillationibus maximè sunt obnoxia.

DE

DE PROGNOSTICO.
Cap. XXIII.


D prognoſtici tractationem Hyppocratico more me accingam; & quoniam vetuſtiores Medici de prognoſtico nullam penè mentionem in morbis fecere, propterea non fuit mirum, ſi etiam ad pauca reſpicientes Methodici, hanc cognitionem alicuius momenti eſſe negabant, quare non immerito Hyppocrates, Gnidos acerrime repręhendere voluit, veluti illos, qui hanc medicinę nobiliorem, & potiorem partem parui faciebant, prędictio enim quantum decoris, admirationis,& glorię Medico afferat,inde conſpicitur, quoniam Hyppocrates in hoc Medicum Deo ſimilem iudicauit,& hac ratione fit, vt ęger audeat ſe Medico committere,& confidens, & obediens faciliùs ſanitatem optatam conſequitur: Verum vt Poeta Fabuloſus cecinit.

Non eſt in Medico, ſemper releuetur vt ęger.

Ob id, quia multę ęgritudines, quandoque manu Medici perſanari non poſſunt, nè culpa in Medicum vertatur, prędictio valdè neceſſaria eſt, non ſolum ad ipſum exculpandum, ſed etiam vt ſuis prędictionibus ſummis laudibus extollatur: Quamobrem vt ad noſtrum propoſitum oratio conuertatur, dico quod non omnes podagrici,& articulares affectus, medica prouidentia ſanari poſſunt. Et alij maxima cum difficultate, alij verò abſque impedimento, & ſumma cum fœlicitate curantur, idcirco opportuna occaſio-

ne ductus, vt Gutta podagrica à spe curandi aliena, optimo consilio à Medico relinquatur, & quæ sanari potest, licet cum difficultate amplectetur, ac illius recta curatio instituatur, prænotione maximè opus est; Tria in affectuum articularium prænotione sunt maturo consilio perpendenda, an scilicet in salutis desperatione positi sint, vel potius curationem admittant, & si spes salutis adest, an facilis, vel difficilis sit cura.

De prænotione Articularium ægritudinum, quæ curam non admittunt. *Cap. XXIV.*


RIMO igitur est inquirendum prognostico, qui nam sint, ex ijs affectibus, qui ab omni spe salutis alieni sunt, ad hoc vt intentata cura solo prognostico relinquantur in quorum numero præcipuè illi sunt reponendi, qui valdè confirmati sunt, & qui in senectute constitutis corporibus reperiuntur, malum enim, ac inueteratum habitum remouere impossibile est; ægritudines enim illæ per se ipsę laboriosę, & perdifficiles sunt, ac in senibus Medicorum prudentiam negligunt, quia tunc in subiecto reperiuntur, in quo natura nihil boni operari potest; in senibus enim vires sunt imbecilles, & calor admodum debilis, & coctiones non fiunt, vt dicebat Hyppocrates 2. aphor. 40. quare senes ad mortem committantur. Hæreditariæ quin etiam de illarum sunt serie, quoniam articulorum imbecillitatem

tatem insitam, infixamque à generationis principio habent, quam immutari medicamentis prorsus à ratione distat. Et Nodosę seu Podagræ, seu Chiragræ appellentur, nec maturari, nec ressolui quibusuis pręsidijs materię gipseæ, & iam lapidosæ factæ, habiles existunt; vnde illa deducitur ex Ouidio vulgaris sententia,

Tollere nodosam nescit medicina Podagram.

Quicunque autem senes sunt, & circa articulos calos tophaceos concretos habent, aut ęrumnosè viuunt, aut siccam aluum habent, ij omnes sani fieri nequeūt humana arte. Nonnulli præterea grauissimi scriptores, inter podagricos, & alios articulares affectus, qui curationem non admittunt, illos recensere videntur, qui à varijs, & diuersis humoribus progignuntur, atque, vt opinor, nulla alia ratione ducti, nisi, quia dum vnum humorem expurgare nituntur, alterum irritare faciunt, & sic morbum difficiliorem, quin potius incurabilem reddunt, cui opinioni, non sat habeo an occulatissimi Medici adstipulari vellint, propterea quod, licet plures, ac differentes inter se fuerint humores, qui Podagram generant, dummodo exitiales non sint, & à Medico cognoscantur, sanabilis erit morbus, quamuis aliqua cum difficultate; Qua propter Podagra illa, quæ ex humorum varietate, & miscella producitur, inter illas quę curationem spernit, non est intelligenda. Quod si forte fortuna casus euenerit, quod equidem raro fieri dicitur, vt melancolicus humor ad manuum, & pedum digitorum vincula, vel ad qualcunque membranas, & tendones defluat, & Chiragram, vel Podagram, seu alios Articulares

lares affectus pariat, medicis prȩsidijs nunquam curari poterit, ob prauum humoris vitium, qui naturȩ rebellis, à medicamentis non superatur, irritatur potiùs.

Et Podagra colerica ab Auicenna proposita medicorum auxilia spernere prorsus videtur, quia subito mortẽ attrahit, si translationibus verborũ Auicennȩ, ab Arabico in latinum, credendum est: Sed amabò de qua nam bile intelligit Auicennas? communis Medicorum consuetudo semper fuit, quotiescunque bilem, sine additione proferunt, bilem flauam intelligere, quare cùm sic loquatur Auicennas, Podagram à bile flaua productam, cito mortem attrahere intendit, bilis enim flaua temperamento est calidissima, celeris motus, acris, mordax, sapore amara, quȩ cum sola putrescit, acutissimas, exitialesque ȩgritudines, & citissime interficientes progignit, si ad ventriculum confluit, omnia eius munera euertit, si cerebrum petit, illius membranas mordicat, dolores acutissimos capitis, vigilias, deliramenta, & furores inducit; si per vomitum expurgatur, fauces, & palatum abradit, si per inferiorem aluum, intestina exulcerat: tandem per quascunque nostri corporis particulas irruit, vel cuicunque adhȩret, (vexica felea excepta) pungit, abradit, vlcerat, & adurit. *Quis, quæso, ignorat bilis flauæ facultatem acrem admodum esse, ac mordentem, & omnia abradentem*, dicebat Galenus libro 6. de vsu partium corporis humani cap. 4. *vel quis vnquam succum hunc crassiorem deiecit, qui prius mordicationem in intestinis non senserit?* & libro 2. prognosticorum textu 46. *bilis flaua corpus deredit, & acutas febres accendit,*

cendit, & 7. aphor. 32. *bilis ſemper acutos morbos operatur*. Quamobrem optimo iure Auicennas, cum bilis flauę naturam ſigillatim conſideraſſet, potuit dixiſſe Podagram colericam ſubito mortem attrahere, ſcilicet breuiori tempore, & citius quam alij articulares morbi, qui humana arte curari minimè poſſunt; verum nonnulli expoſitores hanc Auicennę ſententiam ſecus interpretati ſunt, dicentes illum quidem loqui de Arthritide biliosa, illudque ſibi velle, Arthritidem bilioſam attrahere mortem ſubito, hoc eſt cito extingui, ſeu de medio tolli, & ſuam opinionem Hyppocratis authoritate confirmant, in quodam libro de affectionibus, vbi hęc habet verba. *Arthritis ex bile, & pituita breuis quidem eſt morbus & acutus, non autem lethalis* ſubdens, quod autem hoc loco affirmat Hyppocrates de Arthritide ex bile, & pituita commixtis, idem multo magis locum habet in Arthritide tantum bilioſa, hęc autem expoſitio quoniam de directo eſt ſententię, & verbis Auicennę contraria, propterea non eſt admittenda; Quod ſit omnino contraria, luce ipſa clarius patet, adeò vt nulla egeat probatione. Verba Auicennę ſunt iſta. *Podagra colerica attrahit mortem ſubito*, & hęc, ij ita interpretantur, hoc eſt cito extinguitur, ſeu de medio tollitur. Quęro ego, ſi Podagra colerica eſt illa, quę mortem ſubito attrahit, quomodo quęſo extinguitur, ſeu de medio tollitur? aliud enim eſt agere, & aliud eſt pati, ſi podagra colerica mortem attrahendo, agit, quomodo extinguitur, quomodo de medio tollitur? vel potius, quomodo patitur? equidem non ſat habeo, quare hęc verba ita interpretari poſſint, niſi fortaſſe

dica-

dicamus, & admittamus, Podagram colericam cito extingui ad extinctionem subiecti. Nec possum adhuc probè intueri quantę sit efficacię Hyppocratis authoritas illa, ex libro de prompta, de affectionibus inscripto, secundum Galenum potiùs Polybi quàm Hyppocratis pro confirmanda hac illorum opinione, vbi dicitur quod Arthritis ex bile, & pituita, licet sit morbus breuis, & acutus, non est tamen lętalis; dato autem quod hoc vtique verum sit, ideo non est dicendum, quod idem magis verificetur de biliosa Arthritide tantum, quoniam si Arthritis ex bile cum pituita, non est lætalis, id ratione pituitæ fieri dicitur, quæ furorem quoquo modo, & acutiem bilis obtundit: imò si authoritas illa Hyppocratis ab istis relata, veritati esset consentanea, sibi ipsi planè contradiceret, quoniam quamplurimis in locis, quando præcipuè de ardentibus febribus sermonem facit, quæ à flaua bile tantum producuntur, manifestè perniciosissimas, lætalesque esse ostendit, quamobrem tutius esset dicere, quod sicuti ardentes febres, quæ à bile flaua accenduntur, acutæ, & lætales sunt, & cito mortem inducunt, ita haud secus & cęteri morbi, qui ab eadem bile concitantur, veluti articulares, & podagrici, & acuti, & lętales sunt, & cito interimunt. Morbi nec non etiam articulares, qui à luxationibus prouenire quandoq; vidimus curationem spernunt: ex contumaci enim, & diuturno dolore (quod in ijs casibus, vt plurimum euenire solet) membrum imbecilliore reddunt, interdum experimur tabescere, quia cum moueri minimè possit, materiæ mucilaginosæ ad parte illas in multa copia defluxæ calorem

rem

rem naturalem hebetant, vt expurgari, & ressolui haud quaquam possit, vnde, sicuti via, & transitus assueti nutrimenti clauditur, ita & medicamenti.

Dolores insuper, qui a podagrico, chiragricoque affectu producuntur, interdum adeò acuti, & vehementes fiunt, quales sunt ij, qui a materia mordaci, & calida concitantur, vt miseri ęgrotantes, ab importunis vigilijs, à syncope, ab animi defectu ita corripiantur, vt Medici Empirici ad medicamenta stupefacientia administranda deuenire audeant, à quorũ importuno vsu, certum imminet periculum, nè humores, qui iam acerrimè infestant ad principaliora, & nobiliora membra deferantur, & sceuissimam mortẽ inducant, à quibus deducitur, quod in vehementi pedum dolore, si vigiliæ, delirium, cordis tremor, & palpitatio, & spirandi difficultas superuenerit, mortis proximæ inditium est.

De Prognostico Articularium affectuum, qui curam, licet difficiliorem, admittunt.

Cap. XXV.



ORBI Articulares, vt plurimum, maxima cum difficultate curantur, quoniam partes, quæ conflictantur, sui natura duræ, siccæ, ac frigidę sunt, & ex consequenti materiam fluentem, & lędentem nutriunt, & diuturno tempore continent, & vt dicebat Aetius segniter corrigunt, & consumunt. difficultas autem oritur à loco affecto, ab humoris peccantis natura, multitu-

dine, & mixtione; & hinc fit, vt manuum, & pedum dolores, ægrius, difficiliusque quam cæteri articulares dolores curantur, quoniam partes hæ magis carne expoliatę sunt, & ob id reliquis nostri corporis locis, minus calidę, ac etiam ad expellendos, resoluendos, & quoquomodo euertendos humores fluentes, & infestantes, minus aptę. Insuper si peccans humor pituitosus, crudus, tenax, & crassus fuerit, maiori cum difficultate, & temporis iactura â naturali calore alterari poterit, & medicamenta non nisi ingenti cum difficultate, crassiciem, tenacitatem, & cruditatem corrigere, ac remouere poterunt, propterea non immeritò Hyppocrates 6. aph. 49. statuit, quod podagrici affectus, vt plurimum intra dies quadraginta terminantur, si Medicus in opere suo non aberrauerit, vt inquit Galenus, & ęger in omnibus illi obedierit. Idem etiam eueniet, si humores in multa copia creuerint. Si denique materia irruens ex diuersis, & pluribus humoribus mixta fuerit, quoniam vt cognitu, ita etiam curatu erit difficilior; valdè enim difficilè est humorum diuersorum miscellam adunguem interstinguere, & ad multas, diuersasque simul causas respiciens, curationem aggredi.

DE

De Prognostico Articularium affectuum, qui facillimè persanantur.

Cap. XXVI.



RTICVLARES morbi, qui non dum confirmati fuerint, in corpore robusto, neque admodum in ætate prouecto, dummodo nullus in victu committatur error, facilè quidē persanari poterunt, & pręcipue ij, qui ἰσχίον cruciare solent, articulum in quo ossis fœmoris initium cum coxendico osse connectitur, & alligatur, sedes enim, & origo doloris; licet in neruosis partibus coxę posita sit, & ad lumbos, & circa inguina, & coxa, vsque ad poplitem, & per totum crux, vsque ad calcaneum dilatetur, modo hanc, modo illam partē sui natura sensitiuam, acutis doloribus, acriter molestando, & quandoque vrinam supprimendo, nihilominus quoniam, & à carnosis partibus vndique, & à naturali calore propinquiore, & blande fouetur, ita vt efficacioribus clisteribus optimo consilio administratis, hoc morbi genus faciliori negotio quam Podagra, & Chiragra extirpatur. Pręterea, si etiam Ischiadici affectus, Podagrici, Chiragrici, & Articulares, à sanguinis exhuberantia producantur, inexplicabili cum facilitate venę sectione diripiuntur. & de Ischiadico dolore loquendo, rarò equidem fit ex sanguinis multitudine, dicebat Galenus libro 10. de compositione medicamentorum secundum locos ca. 2. & citissime curatur, venis circa poplitem, aut Talos sectis, quod autem de Ischiadica passione dicitur, de

cęteris etiam articularibus morbis à multitudine sanguinis genitis, idem intelligendum est, vt ex doctrina Hyppocratis 4 aphor. 74. vnusquisque elicere potest, neque difficilem admodum curam admittunt Articulares ęgritudines, a bilioso humore, cum pituitoso permixto; & quamuis inter acutorum morborum serie reponantur ab Hyppocrate (vt quidam volunt) non tamen inter lętales, sed potius inter breues, & faciles notantur, & ratio est, quoniam mordacitas, & acrimonia bilis, a frigiditate, & lentore pituitę obtunditur, & moderatur; & nimia pituitę frigiditas, & lentor, à bile remittitur, atque corrigitur, & sic naturalis calor, medicis præsidijs facile quidem, ac breui tempore, contra huiusmodi morbos victoriam obtinet.

Quædam notatu digna in articularibus morbis, quæ prognostici loco à nonnullis existimabantur.
Cap. XXVII.



VONIAM Medicus omnes Articulares morbos sanare non valet, propterea necessarium est, vt mente pręuideat, & optimè pręcognoscat, qui nàm ex ijs medelam recipere possunt, aut non, ad hoc vt eorum tutã curationem optimè aggrediatur: iam superiùs de pręnotionibus abunde discussum est, quę ad futura diriguntur, reliquum est modo, vt quędam animaduersione digna recenseam, quę prognostica nonnulli existimabant; quarum prima hæc est, quę omni sedu-

litate,

litate,& attentione sunt conspicienda; Articulares ægritudines dicebat Auicennas quandoque vitę cursum longiorem,& diuturniorem parant,& muniunt, & quandoque ad celerem viuendi metam properare faciunt.quotiescunque enim Medicus diuturnos Articulares affectus eradicare,& articulos iàm imbecilliores factos corroborare nititur, efficit, vt superuacanei humores, & a naturali calore malè administrati,qui ad partes laxas, iam longa consuetudine confluere, & peruenire solebant, cum illis transitus intercipiatur, retrograediuntur, & ad nobiliora membra, & interdum ad principaliora infestanda accedunt,& sic dum sanitatem introducere studet,necem incaute infert; quod si easdem superfluitates ad assueta articulorum vincula profluere permittit,viuendi limites proculdubio protrahit.

Notatione quoque dignum est, secundum Hyppocratis sententiam 6. aphor. 28. quod sicuti per venerem cruditates facillimè congeruntur,& articulorum imbecillitas,& viarum latitudines fiunt,propterea Eunuchi quoniam ad Venereorum vsum facultatem non habent,aut omnino podagra non laborant, aut saltem rarò,ob intemperantiam, & inordinatam viuendi rationem. Obseruandum est etiam,quod sicuti Hyppocrates Eunucorum exemplo potissimam podagrę causam Venerem esse demonstrat, ita etiam Puerorum; quoniam Pueri podagra non laborant ante Veneris vsum:cui nos addere liceat,quia neque Ebrietas,neque crapulæ illis sunt familiares;corpora quin etiam traspirabilia admodum habent, quorum auxilio maxima excrementa per cutim facillimè euanescunt.

nescunt. Et mulieres podagra non laborant, nisi menstrua defecerint, priùs quidem erat verum, dicebat Galenus, quia pauca erant delicta, quę ętate superiore mulieres admittebant, nunc vero, ob eorum magnitudinem quędam podagra laborant antequā mensium assuetę purgationes deficiant.

Animaduertendum prętera est ex Hyppocratis sententia; cum Podagra sit morbus articulorum cum inflammatione, propterea intra quadraginta dies conquiescit, nàm locum ignobiliorem occupat, neque lętalis, neque acutus dicitur; verum quoniam est cum inflammatione, propterea inter acutos, & diuturnos mediam naturam seruat, morbi enim acuti quatuordecim diebus terminantur, diuturni vltra quadraginta protrahuntur; ergo podagricus, qui medius est, pro termino quadraginta dierum habet.

Hoc insuper obseruandum est, in podagricis morbis succedentes varices, & vrinas turbidas exehuntes, eorum medelam esse, quoniam materia perturbans, tunc naturę adminiculo ad alias partes fluit, & per vrinam expurgatur.

Annotatione etiam dignum censeri debet, quod senes, qui à tophacea podagra cruciantur, nullo alio remedio, quam à superueniente fluxu persanari possunt, quod non artis, sed potiùs naturę auxilium est. Hoc infortunij tandem Podagricis contingit, vt scrotum, scilicet bursa, in qua testes continentur, longum fiat, quoniam cum podagrici humores deorsum, ad pedes feruntur, necessarium est, vt etiam per illam partem defluant, veluti ad reliquas omnes artuum ligamenta.

Quæ

Quæ poſtremo loco hactenus recenſuimus, vt ſuperiùs dixi, verè prognoſtica minimè ſunt, quoniã propriè prognoſticum de futuris eſt; hæc autem potiùs dignotiones, ſeu rerum memorandarum notationes appellantur. At quia Vates omnes dicuntur ij, qui tam futura, quam præſentia, & pręterita prænuntiant, modo illis non fuerint antea enarrata; nihil refert etiam ſi iſta in prognoſticorum ſerie reponantur.

Primi Libri Finis.

TABELLÆ SECVNDI LIBRI, quę ordinem in Gutta Podagrica, Chiragrica, & Arthritica curanda, seruandum, & indicationes ad curandi viam attinentes, sigillatim ostendunt.

Tabella quæ scopos præcipuos curatiuos Guttam Chiragricam, Podagricam, & Arthriticam patefaciunt.

Germana curandi ratio in euertendis articularium morborum causis consistit, pro cuius rei perspicua cognitione aduertendum est, quod scilicet.

- Duo causæ Articularium affectuũ præcipuè sũt, quarũ vna est.
  - Multitudo bonorum, aut malorum humorum, quæ indicat euacuationẽ quæ triplici modo fieri potest, vel
    - Venæ sectione
      - Quando bonorum humorũ exhuberantia, atque puri sanguinis multitudo reperitur, & hæc euacuatio admodum est vtilis dummodo nihil prohibeat.
    - Purgante Pharmaco
      - Quando humores à sanguinis natura longè recedunt, quod pro natura peccantis humoris a prudenti Medico est eligendum.
    - Vtroque modo
      - Quando alij humores cũ sanguine fuerint permixti, & venæ sectione, & purgatione vtimur.
  - Articularum imbecillitas, & laxitas, quę indicat corroborationẽ, quo mediante auxilio fluxionem humorum sistimus, & dolorẽ lenimus, hoc autem duplici modo fieri potest, vel
    - Medicamentis interius exhibitis
      - Quæ pro ratione peccantis humoris sunt eligenda
    - Exterius administratis
      - Varia, ac diuersa esse debent, pro vt differentes erunt fluentes humores, & diuersis temporibus administranda.

Tabella, quæ sigillatim euacuationem, quæ fit per venæ sectionem, ostendit.

Quandò puri sanguinis multitudo reperitur, euacuatio per venæ sectionem admodum necessaria est, dûmodo nihil prohibeat quod

- Si Gutta Arthritica per omnes articulos defferatur.
  - A quacunque secta vena licet sanguinem euacuare, modo vena ad sanguinis copiam latè promanandam idonea sit, quia per vniuersum corpus tandem inanicio efficitur, & nisi quid obstet vena basilica cubiti interna erit accommodatior.
- Si ad Pedes
  - A vena cubiti interna sanguis erit extrahendus.
  - A vena dexteri cubiti, vt ad pedē dextrū sanguis irruat.
  - A vena sinistri cubiti, si ad sinistrum pedem influat.
  - Et à vena vtriusque cubiti interna, si ad vtrunque pedē confluat sanguis; sed hodie ab vna parte, cras vero ab altera, initium semper sumendo ab ea parte, quæ magis cruciatur.
    - Et sic dum euacuatur per directū auertitur sanguis, qui deorsum ad pedes fertur.
- Si verò ad manus, vel cenī est
  - Dextra
    - Vena dexteri cruris iuxta poplitem aut talos secanda est.
  - Sinistra
    - In sinistro crure vena est aperienda.
  - Vtraq;
    - Vna dies mittēdus est sanguis ab vno crure, altera vero die ab altero crure, exordiēdo semper à parte, quæ magis vrget.
      - Et hoc pacto in incipientib' fluxionibus auertit, quod incipit, & euacuatur.

Tabella, quæ demonstrat venæ sectionem etiam requiri quando sanguis cum alijs humoribus fuerit permixtus.

- Quando etiam sanguis cum alijs humoribus fuerit permixtus, licet sanguinem mittere per venę sectionem, vt puta si fuerit admixtus, vel
  - Cum bile
    - Quoniam huiusmodi humores in venis magna ex parte continentur quantitate magis, quam qualitate infestantes, vt Aegineta testatur, propterea aggredienda est sanguinis missio secta vena in prima ægritudinis curatione.
  - Cum pituita
  - Cum melancolia
    - Non ita copiosè tamen est detrahendus sanguis, sed ea moderatâ quantitate, quæ conueniens videbitur.
  - Cum omnibus simul.
    - Detrahendus est sanguis, dummodo talium humorum permixtio nō longè à sanguinis natura recesserit.

Venæ sectionem etiam requirunt huiusmodi affectus, quando à nonnullis assuetis purgationibus interceptis, producuntur, vt in sequenti Tabella apparebit.

Venæ sectio requiritur si huiusmodi affectus producuntur, vel à suppresſione

- Menſium
  - Vena cubiti interna erit aperienda sanguine exiſtente craſſo,
  - Poſtea
  - Vena poplitis, vel tali ſiniſtri interna.
- Stillicidio ſanguinis narium
  - Procul dubio cum in tali caſu copia ſanguinis fuerit congeſta, quæ Podagricam, vel Arthriticam Guttam concitare valeat copioſum ſanguinem euacuando, reuellere neceſſarium eſt ab illa parte, quam locus dolore affectus oſtendet.
- Hemoroidarum
  - Quæ in cruribus ſunt venas ſeccare conuenit, vt inquit Galenus libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem.

Vt omnia, quæ sub Chirurgico præsidio continentur, amplectamur, aduertendum est, quod quandoque etiam.

Duplici modo intercipiuntur purgationes, vel	Quando vlcus diutius apertum purgauerit, & postea fuerit consolidatum.	Cauterio debet resserari, ad hoc vt materia, quæ expurgari erat assueta non retineatur, atque dolores pariat.	
	Cauteria in brachio, vel in crure, & occipiti diu aperta fuerint, & postea consolidentur, vel	Ferro Igne Causticis	Debent iterum aperiri.

Continentur etiam sub chirurgico præsidio Cucurbitulæ, Hirudines, & Vexicantia medicamenta, de quibus in sequenti Tabella tractatur.

Tabella, Chirurgica præsidia ostendens, quæ post vniuersales purgationes, veluti topica præstanda sunt.

Quæ à parte affecta attrahunt, & euacuationē moliuntur sunt in triplici differentia, vel enim sunt

- Cucurbitulæ
  - Scarificatæ, quæ, & materiam sub cute detentam expurgant, & in partibus remotis infixam, in superficie attrahunt, quæ iterum, & scarificatæ, & admotæ materiam iam atractam expurgant.
- Hirudines
  - Quæ partibus circumiacentibus dolori, & etiam ipsis praue affectis applicātur, materiā peccantem inde deducunt, sed nō ea copia, neque ea vi; & efficatia, qua cucurbitulæ efficiciunt.
    - Eliguntur tamē, quia melius situari posfūt, vbi cucurbitulæ non possunt adaptari.
- Vexicantia medicamenta.
  - Quæ à læsis partibus extrahunt, & euacuant à proximioribus, & à remotioribus, & Crasfiorem, & subtiliorem materiam.

Humores, qui à sanguinis natura sunt alieni, medicamentis purgantibus educi debent.

Quæ pro natura peccātis humoris eligi debēt, vt si fuerit.

- Bilis statim erit purganda, vel
  - per Vomitum
    - A principio leuioribus vomitorijs
    - Postea Valentioribus, vt in tractationbus fusius patet.
  - per inferiorem aluū
    - Medicamentis quæ bilē expurgare valent
- Pituita quoniā cruda, visſida, crassa, lēta, propterea antequā expurgetur.
  - Concoquēda
  - Attenuanda
  - Incidenda
  - Detergenda
  - Postea educēda, vel
    - Per vomitum, medicamētis iā fusius à me propositis
    - Per inferiorē aluū medicamētis pituitā expurgantibus.
- Melācolia
  - Quoniam aut raro, aut nunquam fluxiones ad articulos per melancolicum humorem fiunt, propterea quando euenit, vt fiant, arte humana curari non possunt, ideo solo prognostico sunt relinquendæ.

Quando sanguis cum alijs humoribus fuerit permixtus, & venæ sectione, & purgantibus medicamentis vti oportebit.

Vt exempli gratia si sanguis fuerit permixtus.

- Cum bile
  - Sanguis per venæ sectionem extrahitur, non ita copiose, sed eo ordine, vt fusius dictum est.
  - Postea
  - Purgantibus bilem medicamentis vtimur, vel
    - Per vomitum educentibus
    - Et
    - Per inferiorem aluum excernentibus.
- Cum pituita
  - Primo sanguinem à vena extrahimus
  - Deinde Pituitosum sanguinem præparamus
    - Concoquētibus.
    - Incidentibus.
    - Attenuantibus.
    - Detergentibus.
  - Postea Pituitam medicamentis purgantibus educimus, vel
    - Per vomitum
    - Per inferiorem ventrem.
- Cum atra bile
  - Moderata sanguinis copia per sectam venam est educenda.
  - Deinde optimo consilio atrabilis erit præparanda.
  - Postea iucunde per inferiorem aluum medicamentis purgantibus erit educēda, vt fusius alias dictum est.
- Si denique cum sanguine, & bilis, & pituita, & melancolia fuerint admixta, modo tales humores nō admodum a sanguinis natura sint alieni.
  - Sanguis à vena erit educendꝰ. Postea mixtis præparantibus erunt vtendi. Postremo purgantibus mixtis.
    - Scilicet vtrunque humorum respicientib.

Tabella, quæ ostendit medicamenta corroborantia, humorum fluxionem sistentia, & dolorem lenientia.

Peracta diligenti purgatione, ad medicamenta interius exhibenda, quæ corroborandi, fluxionem sistendi, & dolorem leniendi facultate sint prædita. hæc autem

Varia esse debent pro humorum differentia, quia

- Si fluxio fuerit à sanguine puro — Medicamenta debent esse moderate frigida, cum aliqua adstringenti facultate prædita, vt fusius in tractationibus habetur.
- Si sanguis cum bile mixtus fuerit. — Medicamenta debent esse frigidiora, adstringentia, & quoquomodo stupefacientia, & incrassantia, quorum exempla vlterius intueri poterunt.
- Si pituitosus fuerit sanguis — Medicamenta debent esse moderate calefacientia, exiccãtia, leniter adstringentia, dissipantia, & corroborantia, pro vt aliunde videre licet.
- Si sanguis cum melancolia fuerit — Medicamenta debent esse moderate adstringentia, sensim calefacientia Attenuantia, & articulos, & ventriculum, & cerebrum & omnia viscera corroborantia.
- Si fuerit humorum perplexa mixtio, Medicum occulatissimum oportet esse, in caussis fluxionum rectè interstinguendis, & ea corroborantia, & fluxionem sistentia interius administrare, quæ conuenire illi videbuntur. in hac autem humorum perplexitate deueniendum erit ad remedia à mè in tali casu proposita.

Vt sunt electuaria confectiones, conseruæ, pulueres, antidota, omnia in meis tractationibus ad vnguem proposita.

Tabella, quæ medicamenta corrobrantia, fluxionem sistentia, & dolorem lenientia exterius administranda ostendit, quæ quidem

Varia esse debent pro diuersitate humoris fluẽtis, quoniam.

- Si fluxio sanguinea fuerit exterius admouenda sunt.
  - Primo irrigationes refrigerantes, & leuiter adstringentes.
  - Deinde Cataplasmata, quæ inflammationes leniunt, & fluxionem repellunt.
  - Postmodum vnguenta anodina, & leniter stupefacientia.
- Si ex biliosos sanguine fiat.
  - Primo irrigationes frigidiores adstrictoriæ repellentes, & dolorem lenientes.
  - Deinde Cataplasmata satis refrigerantia, & refocillantia.
  - Postea vnguenta frigida, & moderate stupefacientia.
- Si ex pituitoso sanguine fiat.
  - Primo irrigationes calidæ, adstringentes, & quæ repellant.
  - Deinde cataplasmata calida, dolorem lenientia, discucientia, & exiccantia.
  - Postremo vnguenta solum discucientia.
- Si ex melancolico sanguine.
  - Prius irrigationes calefacientes, & attenuantes.
  - Deinde cataplasmata calida attenuantia, & discucientia.
  - Vnguenta discutientia solum.
- Si fuerit perpexa humorum mixtio recurrendum est ad ea, quæ mliscellam humorum respiciunt, vt suo loco videre est.

Tabella, quæ abluciones, siue balnea ostendunt.

Medicamentis exterius adhibitis, tandem necessarium erit ad lauationes deuenire, ad hoc vt membra, cataplasmatis, inunctionibus, & vnguentis fœdata optimo consilio mundificentur, & hæc.

Varia sunt pro humorũ peccantium varietate.	In sanguinis fluxionibus	Ablutiones debent esse moderatè refrigerantes, & exiccantes, ad hoc vt iuncturas, & artus abluendo roborent.
	In biliosis	Debent esse magis refrigerantes, & adstringentes, & quoquomodo incrassantes, ac etiam moderatè stupefacientes.
	In pituitosis	Debent esse calefacientes exiccantes, generosè corroborantes, & adstringentes.
	In melancolicis	Easdem ablutiones eligere debemus, quas in pituitosis proposuimus.
	In miscella humorum	Habita ratione diuersitatis humorum, balneatio mixta erit paranda, vt suo loco intueri potest.

Tabella, quæ optimam victus rationem instituendam patefaciunt.

Aduertendum autem est, quod in ratione victus duo præcipuè veniunt consideranda, scilicet quæ prorsus euitare debent ægrotantes, & quæ omni diligentia debent obseruari, pro cuius rei notitia sciendum est, quod victus ratio varia esse debet, pro humoris peccantis diuersitate.

Quia si fluxio fuerit sanguinea:

- Euitare debent
  - Crapulam
  - Ebrietatem
  - Venerem
  - Somnum extra tempus, & consuetudinem
  - Cibaria, quæ multum nutriunt, & quæ copiosum sanguinem generant, vt
  - Carnes pingues, Pullorum, Perdicum, Phasianorum, suiles
  - Apri, Veruecinæ, & similes
  - Vinum præcipuè.
- Obseruare tenentur
  - Vt vitam degant ab immoderatis laboribus alienam,
  - In cubiculo, cuius aer temperate sit frigidus, & siccus
  - Vigilent / Dormient — Moderate.
  - Carnibus parce vtantur, quę sint facilis concoctionis, & non admodum nutriant, quales sunt
  - Carnes vituli iunioris non pinguis:
  - Hædi
  - Paruorum Auium montanarum:
  - Pulmenta sint ex hordeo, Panico, Farre
  - Potus sit hordei decoctio cum seminibus coriandrorũ, & cinamomo.

In Biliosa fluxione.

- Euitare debent
  - Motus,
  - Vigilias diuturnas,
  - Vinum,
  - Venerem,
  - Cibaria calida, & sicca, Dulcia, prçcipueq; ea, in quibus, vel sal, vel aromata ingrediuntur, quæ facilè bilem procreare possunt.
  - Inediam
  - Iram, & furorem.
- Obseruare tenentur
  - Vt hillari animo vitam ducant
  - Absque motu
  - In cubiculo cuius aer sit temperate frigidus, & humidus,
  - Somnum suis temporibus concilient;
  - Carnes vitulinas comedãt, sed partem pinguiorem;
  - Pullos Iuniores
  - Ptissanam hordeaceam cum seminibus melonum paratam.
  - Et in iuribus dictarum carnium decoquantur lactucæ, maluę, cuscutæ, & intibi;
  - Pisces saxatiles probantur.
  - Fructus, vt Pira, Poma, Mala cithonia, Castaneę
  - Potus sit aqua hordeacea, in qua lactucę folia, & prunæ decoctę fuerint.

Victus ratio in Pituitosa fluxione.

In Pituitosa fluxione.
- Euitare debent
  - Crapulam,
  - Ebrietatem,
  - Venerem,
  - Vinum,
  - Somnum inmodicum
  - Ocium,
  - Cibaria humida frigida, crassæ substantię;
  - Carnes pingues,
  - Lacticinia,
  - Caseum,
  - Legumina,
  - Fugaces fructus.
- Obseruare tenentur
  - Vt degant in aere temperate calido, & sicco.
  - Vigilent,
  - Inediam patiantur,
  - Sitim tollerent,
  - Cibaria, quę extenuant, & parum nutriant eligant, vt sunt carnes montanarum Auium.
  - Vituli
  - Hædi gracilioris potiùs assatæ, qua elixatæ,
  - Panem bene coctum comedant.
  - Phisticivsus, Caparorum, Passularum — probantur
  - Potus sit coriandrorum decoctio, cinamomi, vel radicis cynæ, seu aqua mulsa cum saluia.
  - Vel decoctio camedrios.

Victus ratio in melancolicis fluxionibus.

In melancolica fluxione.

- Euitare debent
  - Motus corporis immoderatos.
  - Animi perturbationes, tristicias, melancolica obiecta, cogitationes tristes.
  - Venerem,
  - Vinum,
  - Cibaria frigida, & sicca, & brasica, & cepas, & poros, ac omnia olera, & legumina, & radices.
  - Aerem frigidum, & siccum.
- Obseruare tenentur.
  - Vt lecto iucundoque animo viuant; cum hominibus iucundis consuetudinem habeant, & versentur.
  - Commorenturque in cubiculo, cuius aer sit potius calidus, & humidus tẽperate.
  - Somnum moderatum procurent.
  - Carnes vitulinas comedant.
  - Pullos vnius anni.
  - Ptissanam hordaceam cum Pineis optimè paratam.
  - Potus sit decoctio florum, & fructuum cordialium, quæ erit admodum gratissima.

Victus ratio in perplexa humorum miscella.

Victus ratio, in multorum, diuersorumque humorum perplexa mixtione debet optimo consilio institui, pro vt prudenti Medico conuenire visum fuerit.

De curatione Liber Secundus.



PODAGRICAE, CHIRAGRICAE, & ARTHRITICÆ CVRATIONE

Liber Secundus.

De ordine in Gutta Podagrica, Chiragrica, & Arthritida curanda, seruando, & de Indicationibus, quæ ad germanam curandi viam attinent. Cap. I.



VTTAE Podagricæ, Chiragricæ, & aliorum articularium similis affectionis, essentia, potioribus causis, & signis sigillatim, & accuratè examinatis, subsequitur, vt iàm ad illarum curationem instituendam me accingã; in hoc autem negotio exactè peragendo aduertendũ est, Medici officium esse, mente perquirere, ac omni

 sedu-

sedulitate cùm morbum præsentem, tùm imminentem respicere, quatenus enim imminet, auxilijs occasionem auertentibus, & sanitatem confirmantibus vti debet: quatenus autem adest, perturbat, & affligit, præsidia ad illum remouendum, & euertendum optimo consilio, vt administrentur adinuenire tenetur: Quamobrem licet in nostris corporibus, Sanitas, origine, dignitate, & natura ægritudinem antecedat, quoniam tamen homines, nisi dùm cruciantur, curari affectant, & postea de sui tuenda sanitate valde solliciti euadunt, propterea in Afflictorum gratia priùs de sanitate in ijs affectibus acquirenda, postea vero de eadem conseruanda, ad hoc, vt huiusmodi morbi euitentur, quominus superueniant, sermonem meum instituam. Quantùm verò ad primum institutum attinet, quod in Articularium morborum curatione versatur, dico, in remouendis, & euertendis causis potissimum germanam curandi rationem consistere, duo autem præcipuè sunt articularium affectuum caussæ, quarum vna est moltitudo, & exuberantia bonorum, viciosorumque humorum, altera vero est articulorum imbecillitas, & laxitas. Quatenus ad humorum copiam, siue bonorum, siue malorum, & redundantiam spectat, scopus minorandi, & euacuandi Medico se se offert. Quatenus vero ad articulorum laxitatem, & imbecillitatem, occasio corroborandi oritur. Rursus nè ab humorum multitudine discedamus, hæc vel in locis articulorum iàm fluxa est, vel ad illas partes confluit, & dolorem efficit, & in aliqua parte nostri corporis generatur: Quatenus iam fluxa est, expurgatione eget, Vt autem confluit,

&

& dolorem facit, statim fluxionem sistendi scopus emerget,& doloris minorationem, quod repellentibus medicamentis,& annodinis fieri solet; Nè autem in aliqua nostri corporis parte regeneretur, postea occurendum est, partes illas corroborando. Vt vero ad materiæ exuberantis euacuationem reuertar, dico euacuationem pro materiæ peccantis ratione instituendam esse.

De euacuatione, quæ fit per venæ sectionem tractatur. Cap. II.



QVAEDAM materiæ pro euacuatione venæ sectionem requirunt, quædam autem medicamenta purgantia postulant, mittendus itaque est sanguis copiosè, vbi bonorum humorum exuberantia, atque puri sanguinis multitudo reperitur, hæc enim euacuatio admodum necessaria est, dummodo nihil prohibeat, quæ cum ab Hyppocrate 6. aphor. 47. & Galeno in Comento summis laudibus extollatur, ad pręcauendos huiusmodi affectus, quo minus superueniant, quanto magis erit necessaria, & vtilis ijsdem ęgritudinibus iam pręsentibus,& molestantibus? Si igitur Gutta arthritica fuerit, quæ per omnes articulos deferatur, a quacunq; secta vena licet euacuare, modo vena ad sanguinis copiam latè promanandam idonea sit, à quacunque enim parte euacuatio fuerit instituta, per vniuersum corpus tandem euacuatio efficitur, & nisi quid obstet, vena basilica cubiti interna erit accom- *In Arthritica Gutta.*

In Podagrica. modatior, Sed si fuerit, vel Podagrica, vel Chiragrica, in incipientibus fluxionibus *auertere quod incipit, expedit*, dicebat Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 19. à vena autem cubiti interna, vel dextri, vel sinistri, vel vtriusque brachij euacuatio est facienda, quia dùm euacuatur etiam reuellitur, & in Podagricis morbis auertendi sunt per directum humores, qui deorsum ad pedes irruunt. At si manus dextra fluxione, & dolore infestatur, vena in dextro crure iuxta poplitem, aut talos secanda est, Si vero sinistra, in sinistro crure vena est aperienda, quod si vtrasque manus dolores sollicitent, vna die mittendus est sanguis ab vno crure, & altera die, à crure altero, reuulsionem simul cum euacuatione, semper exordiendo à parte, quę magis vrget, & huiusmodi euacuatio, confluxum humorem purgat, & causam fluxionis tollit, *quibus enim per directum adhibetur reuulsio, euidentem vtilitatem celeriter ostendit*; dicebat Galenus, libro nuperime alegato, cap. 15. Neque semel tantum hæc sanguinis euacuatio est facienda, sed bis, terque, sanguinis detractione paulatim repetita, quotiescunque occasio se se obtulerit, hoc enim remedium tantæ est vis, & authoritatis, vt si statim in fluxionis initio fiat, interdum cruciatos ad perpetuam sanitatem perducit, vel saltem minus molestantur, vel raro: & per multos annos a tali passione immunes euadunt, Cautus tamen Medicus esse debet, nè hoc remedium in eis, qui huiusmodi defluxionibus sępius sunt sollicitati adhibeat, quoniam plus detrimenti, quam auxilij inferet præsertim quando corpora, imbecillioris, ac frigidioris

In Chiragricis.

Notandum.

dioris temperamenti sunt constituta. Quando etiam sanguis cum bile, vel cum pituita, aut cum melancolico succo fuerit permixtus, præceps mittendi sanguinis occasio, & scopus se se Medico occurret, quoniam vt Paulus Aegineta testatur, huiusmodi humor venis magna ex parte continetur, quantitate magis, quam qualitate infestans; propterea dicebat ipse, aggredienda est sanguinis detractio, secta vena in prima statim ægritudinis curatione, vt præoccupemus noxij humoris fluxum. Quando autem Podagrici, & Articulares affectus ab humorum miscella progigniuntur, dummodo Medicus prudens agnouerit talium humorum permixtionem, non longè a sanguinis natura recedere, per venæ sectionẽ sanguis erit euacuandus; non ita copiosè tamen, sed ea moderata quantitate, quę conueniens videbitur.

In humorum miscella

Venæ sectionem etiam requirunt affectus isti, quando à mensium suppressione producuntur; nec non quando ab assueto sanguinis narium stillicidio intercępto fiunt, atque ab hemeroidarum consuetis purgationibus intermissis, Et in ijs casibus eodem ordine Medici vti debent, quem Galenus in libro præallegato, de curatione per sanguinis missionem obseruandũ proponit, quoniam si menses aperire volumus, hoc nullo tutius remedio quàm, vel per crurium scarificationẽ, vel per venæ sectionem dextri cubiti internam, & postea poplitis, vel tali sinistri præstari poterit.

In defectu menstruorũ.

Si fluxum hæmoroidarum impeditum, prouocare intendimus, quę in cruribus sunt, venas secare cõuenit.

In defectu hæmoroidarum.

Si detentus iàm fuerit sanguis, quem veluti per periodos natura à naribus expurgare assueta fuerat, procul

In sanguinis narium defectu.

procul dubio cum in tali casu copia sanguinis fuerit congesta, quæ vel Podagricam, vel ArthriticamGuttam pariat, per venę sectionem sanguinem copiosum euacuando, reuellere necessarium est. Insuper, vt omnia, quæ sub chirurgico pręsidio recenseri possunt, amplectamur, considerandę etiam sunt euacuationes interceptæ, quæ ab aliqua morbosa causa prius fuerant concitatæ, vt Exempli gratia, si vulcus in crure diutius apertum purgauerit, posteà fuerit consolidatum, cauterio debet aperiri, ad hoc vt materia, quę longo iam temporis tractu expurgari erat assueta, minimè rettineatur, ac dolores efficiat; si etiàm, cauteria, vel in bracchio, vel in crure diù aperta fuerint, & postea consolidentur, debent iterùm aperiri. Præterea inter chirurgica præsidia, quę post vniuersales purgationes, veluti Topica pręstanda veniunt, quæ, & a parte affecta attrahunt, atque euacuationem moliuntur, a Vetustioribus Medicis in vsum habita, & a Galeno præcipuè, in contumatioribus, ac inueteratis fluxionibus mirum in modum comprobata, loco nuperimè allegato cap. 19. vbi dicebat, *quod in incipientibus fluxionibus, auertere, quod incipit expedit, in inueteratis autem, ipsum tantum, quòd affectæ parti infixum est, euacuare.* Sæpe namque accidit, vt humores infestantes, profundiori parte ita adhęreant, & confirmentur, vt neque sectione venæ, aut purgantibus medicamentis, vel discutientibus, & exiccantibus remoueri possint, vt necessarium sit ad alia præsidia consugere, veluti ad cucurbitulas scarificatas, seu ad alia, quæ parua cornicula ad hoc vsum idonea, constructa, ad Hyrudines, & ad Vexicantia medi-

In vlcere consolidato.

In cauterijs.

Remedia chirurgica Topica.

medicamenta: Cucurbitulæ enim scarificatę, & materiam sub cute detentam expurgant, & à partibus remotis infixam, in superficie attrahunt, quę postea secunda vice scarificatę, iterum admotę, materiam iàm attractam expurgant. Subsequuntur postea Hyrudines, quę eandem facultatem habent, quam Cucurbitulę, quę si partibus loco affecto circuniacentibus, & partibus ipsis prauè affectis applicentur, satis copiosam materiam peccantem inde educent, at non ea vì, & efficacia, neque a partibus ita profundioribus, qua Cucurbitulæ solent efficere; Vbi autem non ita facilè, neque ita commodè Cucurbitulæ adaptari, vel situari possunt, Hyrudines eligendæ sunt. Vexicantia quoque medicamenta ad eandem intentionem maximè erunt opportuna, ea namque, subtiliorem, & crassiorem materiam, & à proximioribus, ac remotioribus partibus, attrahendo, euacuant, & partem affectam, miro ægrotantium iuuamento aleuiant. Et hęc dicta sufficiant circa ea, quæ ad euacuationem per venę sectionem, & ad alia Chirurgica auxilia vniuersalia, & particularia, seu Topica maximè facere videntur.

Cucurbitula.

Hyrudines.

Vexicatoria.

DE

De altera euacuatione humorum, quæ medicamentis purgantibus præstanda est, & primo in biliosis fluxionibus, de modo expurgandi. bilem. Cap. III.



SANGVINE autem detracto, quoniam ferè est impossibile, vt solus sanguis semper superabundet, quim & alij humores perturbantes non remaneant, propterea ratione sic postulante, paululò tempore interposito, vt hoc interim quoquomodò natura refocilletur, postea purgatio erit tentanda, varijs, ac diuersis medicamentis, pro vt varij, & differentes fuerint humores, qui cùm sanguine redundantes, erunt permixti, vt inferius, suo loco manifestabitur; Nè autem a suscepta purgatione discedamus, si Cacochymia adest, aduertendum est, cum humores à sanguinis natura longè recesserint, non quidem venę sectione, sed medicamentis, vel per inferiorem aluum, vel superiùs per vomitum educentibus vtendum esse, Quoniam si fuerit bilis, quę exuberat, propterea quod iste humor fluxioni paratus est, statim in morbi initio erit medicamento purgante euacuandus, vel per vomitum, vel per inferiorem ventrem; per vomitum quidem, ad hoc vt reuulsio fiat, quando huiusmodi materia ad inferiores partes irruit, nempè ad hyschium, ad Genua, & ad Pedes. Per inferiorem vero aluum, quando eadem bilis, ad manus, ad brachia, & ad humeros ascendit; hoc enim est Hyppocratis, & Galeni prçceptum, in 6. de morbis vulgaribus comento 2.

Bilem purganda.

textu

textu 9. libro 10. de compositione medicamentorum secundum locos cap. 2. Vomitus autem ab accepto cibo erit mouendus, à leuioribus Vomitorijs initium sumendo, vt est aqua tepida cũ aceto, vel syrupo acetoso simplici pmixta, hęc vomitoria, sicuti leuia sunt, ita bilem in ventriculo iam regurgitatam solum educunt; propterea ad medicamenta vomitum facientia præstantiora accedendum erit, & quę à coxis, à genibus, & pedibus, tanquam a partibus remotioribus, realem facultatem reuellendi habeant. Inexplicabili autem cùm ægrotantium iuuamento, apud me vomitorium medicamentum paratur, cùm aqua stillatitia aranciorum immaturorum tepida, & sufficienti quantitate pulueris Scopæ Regię, hoc quidem medicamentum mirabile est, atque diuinum, & à paucissimis Medicis probè cognitum, quod Podagricis, Gonagricis, & Hyschiadicis affectibus pręcipuè præsentàneo, & maximo est iuuamento. Bilem enim pręsertim, & alios posteà humores per superiora, & per inferiora iucundiùs absque comparatione expurgat, quam Thlaspi ab Aetio adeò in hoc casu celebratus, nullum imprimit calorem, Fœtum non perimit, neque educit, vt efficit Thlaspi, nullamque acrimoniã, & mordacitatem habet; quare hoc est medicamentũ longè ipso nobilius, tutius, atque iucundius, vt experientia sæpissimè à me fuit comprobatum. Sed iam ad bilem purgantia medicamenta per inferiorem aluum descendamus, quando Chiragra, Pechiagra, Cleisagra, & alię superiores corporis iuncturę biliosa fluxione corripiuntur, ad hoc vt ad contraria reuulsio fiat; quę à clarissimis practicantibus communiter

Vomitus quando est mouendus.

Vomitoriũ præstantiss.

Purgantia bilẽ per aluũ

niter probantur, sunt, vtpute syr.rof.sol.Elect.de succo rosarum. rof. Mes. de diaprunis, & s. & sol. Rhab. Mana, & Cassia per setaceum extracta, dummodò hęc duo postremo loco proposita medicamenta, cum citrinis Mirobalanis, & Tamarindis parentur, ad hoc, vt facultatem adstringentem, & corroborantem aquirant, namque sui natura quadam sunt humiditate, & laxitate prædita, quę nisi his corrigantur plùs laxarent membra cùm imbecilla, & ita aptiora ad fluxiones suscipiendas redderentur; est enim Medicorũ pręceptum ferè omnibus vulgatum, quod in euacuãtibus stiptica admiscenda sunt, quia constringendò vias, materię fluxum prohibent; Bile itaque omni sedulitate expurgata, quoniam vbi diutiùs permansit, & per vias vbi deducta fuit, quandam calidam intemperiem concitare, ac imprimere potuit, hac ratione, partes illæ medicamentis refrigerantibus erunt attemperandæ cum syr.acetoso.s. Mirtino, ex cicorea, de succo acetosæ, cum decoctionibus cicoreæ. s. melonum, hordei.s. papaueris albi, acetosę endiuiæ, rosarum siccarum, & similibus, quod si iterùm erit purgatio repetenda, hoc fieri poterit cum medicamentis iam antea propositis; non sunt etiam negligendi clisteres eandem intentionem habentes.

Pituitam purgantia medicamenta.

PITVITOSO autem humore confluénte, quoniam est crudus, crassus, vissidus, & lentus, propterea antequam expurgetur concoquendus, attenuandus, incidendus, ac detergendus erit oximelite. s. squillitico, & composito, mele rosato. s. & squillitico, syrupo de stecade, de betonica, de hysopo, & cum decoctionibus, vel betonicæ, vel corticum radicum feniculi, liquiri, hiuę arteticę, camedrios, foliorum roris marini, Centaureæ minoris, Zeduariæ, & similium. Et facta pręparatione ad expurgationem erit deueniendum, & per Vomitum, & per inferiorem ventrem. Vomitum autem cierem, cum raphani decoctione, cui acetum, & sesaminum oleum esset permixtum, vel potius Vomitorio superius à me proposito, vterer, cum puluere scopæ Regię paratò, pituitam enim, & per vomitum, & per inferiorem aluum educendi miram facultatem habet. Verum quoniam omnes ferè grauissimi Medici, qui circa hanc materiam scripserunt, in pituita educenda vno ore, vomitum veluti suspectum potiùs, & periculosum pronunciãt, propterea quod familiarior pituitę via, & minus periculosa, per intestina existit, vel sit Podagricus, vel Chiragricus, vel Articularis affectus. Medicamenta itaq; ad hoc opus idonea: erunt Mirobolani, mel. rof. sol. Diaphini. Diacatol. Elect. Elescoph. M. Ind. Maior. & inter catapotia Pil. Fœtidę de Hermodactilis. Trocisci Al'handal. Pil. de Sagapeno, de Agarico trociscato,

Vomitoria.

Medicamenta per inferiorē aluū.

ſcato,hęc ſunt medicamenta, quæ communiter ſunt in vſu. Prętcrea,& alia reperiuntur præſtantiſſima, quę Medicis omnibus non ſunt ita familiaria, vt extractum ex collocintida; & apud me magni momenti eſt extractum ex hebuli radicibus. paratur etiam medicamentum ex collocintida hoc pacto.

R. ſapæ lib. i.
Mirobalanorum Kebulorum ℥ i.
Zeduarię ʒ i.
Florum Antos
Cinamomi
Gariofilorum ana ʒ ſ.
S. Aniſorum
Pulpę collocintidis ℥ ſ.

A ſeminibus extrahatur pulpa,& incidatur,& manibus oleo amigdalarum dulcium inunctis confricetur, poſtea omnia ſimul in vaſe vitriato infundantur, & ſuper cineribus calidis ponatur Vas per diem naturalem,interdum cum ſpatula omnia ſimul miſcendo,poſtmodum in Torculari fortiter exprimantur,& ad vſum tale medicamentum ſeruetur, duo coclearia,vel plus,vel minus, quatuor horis ante prandium exhibendo. à iuncturis enim, & à partibus longinquis,pituitā generoſe educet. Aduertendum autem eſt,quod medicamenta,& præparantia, & purgantia ſumma cum prudentia adminiſtrari debent, ratio enim poſtulat,vt a leuioribus incipiamus,ad validiora deſcendendo,nè tenuior materia eggrederetur,& craſſior remaneret. Cliſteres quoque acriores, Viſcidam, & craſſam pituitam educentes, in tali occa-

Cliſteres.

ſione

ſione valdè vtiles exiſtunt, pręcipuè tamen yſchiadico affectui perſępe adminiſtrari debent, parantur autem cum decocto foliorum Rutæ, Iuæ arteticæ. Centaureę, Saluię, Sticados, S. lini, Feniculi, Cumini. Agarici, pulpę Collocintidis, Summitatum, vel radicum Hebuli, & in hac decoctione Elect. de Hiera. Indum, de Benedicta diſſoluuntur, & oleo Rutę; Liliorum, Camomille permiſſentur; quoniam verò yſchiadicis magis Vomitoria medicamenta proſunt, quam ea quę per inferiorem ventrem expurgant, nàm deorſum repentem humorem reuellunt, propterea in hoc caſu Vomitorium ſuperiùs à me propoſitum, ſummis laudibus eſſe extollendum, & audacter eſſe exhibendum affirmo. Quod ſi ſalſa fuerit Pituita, tàm præparantia, quàm purgantia medicamina, leuiora, minus calida, quin potiùs refrigerantia, attenuantia tamen, ſed minus valida, eligi debent, pro Pituitę ſalſę natura, & qualitate euertenda, quorum exempla proponere ſuperuacaneum exiſtimo, quoniam hoc eſſet potiùs aliorum ſcripta exarare.

Vomitorium yſchiadicis.

In Pituita ſalſa.

Si melancolicus ſuccus fuerit ille, qui fluxionem in articulis concitet, quoniam hoc, vel nunquam, aut ſaltem ſanequam rariſſimè euenire ſolet, & (vt in meis prognoſticationibus determinaui) affectus articulares, qui à tali humore producuntur, vix arte vlla curari poſſunt, propterea intentata cura, ſolo prognoſtico illos relinquamus. At ſi melancolicus humor, ſiue atrabilaris ſimul cum ſanguine fuerit permixtus, quoniam ſæpiſſimè quidem in venis totius corporis ſimul cum ſanguine permixtus atrabilaris humor continetur, tunc temporis, & præparantibus,

In Melancolico ſucco.

In Melancolico ſanguine.

&

& euacuantibus medicamentis vtrunque humorem respicientibus vtendum erit, verum quoniam superius de bilem purgantibus satis dictum fuit, idcirco melancoliam concoquentia,& educentia solum proponam. Parant autem,& concoquunt syr.de Pomis, de succo boraginis,de lupulis,de corticibus citri, oximel compositus, syr. acetosus diarodum, cum decocto Melissę,Buglossę,Boraginis,Scolopendrię,Lupulorum, fructuum, & florum cordialium.Educunt Syr. de Pilipodio,de Epitimo. Infusio senę:decoctũ Elebori cum suis correctiuis,Mirobalani indi,citrini. & inter electuaria communia adest Confectio Amhæc,Diassena, Elect.de Dactilis,& inter Catapotia, sunt ea,quę de Scolopendria dicuntur,de Lapide Lazuli,Elephanginę,Alexandri de Nitro. Verum quę ex nigri, & albi Elebori extracto conficiuntur valde vtilia,ac probatissima sunt,humorem enim melancolicum, miro ęgrotantium iuuamento euertunt, & à paucis Medicis huiusmodi remedium est in vsu,quãuis Hyppocrates(vt ita dicam)sexcentis in locis proponat,& laudet.

Preparantia Melancoliam. Purgantia.

Si vero sanguis cum bile fuerit permixtus, euacuantia medicamenta vtrunque humorem respicientia exhibenda erunt, habita prius ratione prędominantis humoris.

In biliosis sanguineis.

Si pituitosi succi cũ biliosis fluxionibus permisceãtur,cum permixtio illa eodem tempore ęgrotantem sollicitent,necessariũ erit,& remedia miscere quę bilẽ simul, & pituitã expurgandi facultate prędita sint.

In Pituitosis sanguineis.

Si denique non solùm duo humores,verum etiam omnes ordine quodam perplexo, & non ita facilè per-

In humorum miscella

perceptibili fuerint complexi, prçterquam quod huiusmodi cognitio ab affectionibus simplicibus iam à me superius enarratis erit petenda, ita optimo consilio, curatio, quç talium humorum miscellam respiciat, instituenda erit. Quoniam autem quidam ęgrotantes aliquando adeò exigui animi, ac intolerantes reperiuntur, qui & purgationes, & venç sectionem adeò formidare videntur, vt cum Medicus hęc illis proponit, statim animo concidunt, propterea dum ipsi, & corpore, & animo languent, prorsus suam salutem negligunt, & nos de illorum incolumitate minus tenemur esse soliciti. Si verò aliquis esset, qui istis vellet morem gerere, simulatam curam ab Aetio propositam pacato animo perlegat, nos enim potiora præsidia prçtermittentes, in vanum, ac frustra laboramus.

Ratio Medicamentorum Repellentium, & Roborantium, quæ fluxionem humorum sistunt, & dolorem leniunt:
Cap. IV.



NTEQVAM ad repellentia, & roborantia prçsidia accederemus valdè opportunum videbatur, corpus, nè dùm semel, sed bis, terque adeò expurgare, vt ab omni humorum inquinamento, quoad fieri possit liberum redderetur, nè humores, qui ad articulos influunt, ad principaliora membra recurrant, & seuioris morbi in causa sint; rationę itaque influentis humoris, ob articu-

articulorum imbecillitatem indicatio corroborandi oritur, quo mediante auxilio, fluxionem humorum sistimus, & in particulam receptum humorem exprimimus, & discipamus, doloremque auferimus. hoc autem duplici modo præstari potest, vel medicamenta interius exhibendo, vel exterius administrando; inter medicamenta, quę interius, per os prębentur; quę pro ratione peccantis humoris sunt eligenda, si namque fluxio à sanguine fiat, inter ea, quę maximè conuenire videntur, laudatur conserua citoniorum, conserua ex rosis antiqua, cōfectiò triassandalorum; mane sumenda, stomaco ieiunio, tribus horis ante prandium, ad vnius vncię pondus; Pręterea apud me probantur hęc duo confectiones superius descriptę.

In sanguineis fluxionibus simpliciter.

R. Margaritarum pręparatarum	℈	iiij
Coralorum rubeorum	ʒ	ij
Sandalorum omnium	ana ʒ	i
Rosarum rubearum		
Ossis dę corde cerui	℈	i

Sacari optimi cum aqua rosacea dissoluti q.s. mis. & fiat confectio in rotulis secundum artem, & pro vsu seruetur; vel

R. Conseruæ rosarum antiquę	℥	v
Triassandalorum	℈	iiij
Coralorum rubeorum opimè pręparatorum	ʒ	i

Mis. & seruetur pro vsu, exhibendo ℥ ß vel plus

Pro

Pro vice. talium enim medicamentorũ auxilio, calor sanguinis attẽperatur, & iecur, qui est membrũ, à quo sanguinis copia cõtinuo scatet, refrigeratur, & articuli iàm imbecilles, & laxi, quoquo modo exicãtur, moderateque constringuntur, roboranturque, vt non ita facilè sanguinem fluentem admittant. Quæ exterius loco affecto circa initia administrantur, debent esse irrigationes cum veteri aceto accerrimo, & oleo rosaceo paratæ, modo in intimiori parte dolor ipse resideat, sui namque tenuitate acetum, rosaceo oleo faciliorem ingressum ad profundiorem partem parat, qui sua peculiari facultate refrigerando, & aliquantulum adstringendo, dolorem lenire valet, sed si dolor in superficie constiterit, Irrigationes cum rosaceo oleo, & vino parentur, valdè enim has profuturas esse existimo; Aduertendum tamen quod Aestatis tempore, tepidæ, alijs vero temporibus, calidę administrandæ sunt]. Pręterea folia Brassicę in sapa cocta terenda sunt, & cum fece aceti, & luteis crudis ouorum tribus, vel plus, addita modica quantitate olei rosacei vmphancini, sæpe sępius renouando, quando in profundiori parte dolores contumaces, consistunt, huiusmodi cataplasma erit maximo iuuamento. Conferre hoc etiam mirificè poterit R. sapę, in qua papaueris semina cocta sint, partes tres, olei veteris partem vnam, mis. & cum lana loco affecto impone: alijs quoque suppositis emplastris, quæ inflammationes lenire valent, à Galeno, Aetio, Alexandro, & Paulo Aegineta propositis: à Phuxio, ab Altomari, atque ab alijs recentioribus exaratis, quædam alia medicamenta proponam, quæ apud omnes non

Extrinseca remedia.

Irrigationes.

ita facilè sunt in vsu.

Vnguentum particulare valde optimũ in sanguineis fluxionibus

R. Semperuiui maioris, & minoris ℥ iij.
Ranas optime expurgatas N. xx.

Omnia minutim incidantur, & in sufficienti quantitate olei rosacei completi, in Olla optime vitriata ponantur, ibique fiat decoctio secundum artem, ad olei consumptionem, postea ab igne remoue, & per panum facta forti, ac diligenti expressione ad totius substantiæ extractionem: R. dictam substantiam, Litargiri aurei, Cerę optimę anna q.s. iterum buliant omnia simul quousque cera liquefiat, continuè permiscendo, vsquequo omnia incorporentur, postea dimitte frigescere, & f. vnguentum, quod & doloribus, & sanguineis fluxionibus mirificè conducet. Sed, antequam ad vlteriora transeamus, animaduertendum est, quod auxilia repellentia omnibus articularibus affectibus maximè conueniunt, præterquam coxendico dolori; quare in tali casu ab ijs abstinere debemus, nè sanguis, & alij humores versus articulũ yschi praue affecti repellantur, ibique congerantur, difficilioresque ad ressoluendum, & discutiendum reddantur.

Notandum.

Si sanguis cum bile admixtus fuerit.

In sanguineis, & biliosis simul fluxionibus.

Medicamenta, quę interius exhiberi possunt, erunt Mirobalani Chebuli conditi, qui, & bilem ab articulis paulatim educunt, eosdemque articulos corroborant; cõserua ex floribus cicoreæ, & ex folijs acetosę; musculos, & articulos à bilioso sanguine praue affectos, refrigerant, mordacitatem biliosi humoris obtundunt, & leuiter adstringendo corroborant. poterit etiam medicamentum eandem facultatem haben-

tem

tem parari hoc modo. R. boli armeni orientalis ℈ v. s. papaueris albi optime contusi ʒ ij. quatuor seminum frigidorum ʒ j. Conseruę ex floribus cicoreæ, vel ex folijs acetosæ q. s. misc. pro vsu: exhibendo ℥ j. pro vice tres horas ante prandiũ; verum quoniam biliosa materia, acutissimos, ac infestissimos inducit dolores, hac ratione exhiberem etiam ea quæ somnum conciliant, vt sunt emulsiones seminum papaueris albi, cum aqua, vel lactucæ, vel nimpheæ, vna hora post assumptum cibum. præterea laudanda est conserua ex citri acido, vel limonum. etiam aquæ ex balneis Calderianis in Veronensi Agro mirificè iuuant, ex mineris enim Nitri, Sulphuris, & Ferri scaturiunt, & propterea, vt iam à viris doctissimis discussum est, per primariam earum operationem, quoniam aquæ sunt, refrigerant, eo magis quoniam à minera ferri, à qua continuo scatent, roboratę fuerunt, & exquisite exiccant, quoniam nè dum in ferri mineram iam dictam moram faciunt, siccitatem aquisiuerunt, verùm etiam quoniam ex transitu loci Nitri, & Sulphuris eandem facultatem confirmarunt, parum autem habent de Sulphure, & de Sale, tum quia paucus admodum inest sapor Sulphuris, tum etiam quia vix exiguum saporem salsum habent. Sed hic non est locus, vt de huiusmodi Thermis exquisite pertractem, satis est, vt affirmem, morbis articularibus, & Podagricis à bilioso sanguine productis mirum immodum conferre, vt omnes clarissimi Viri, qui de Thermarum facultatibus pertractarunt, attestantur.

Aqua ex Balnei Calderianis

Transeamus modo ad Repellentia auxilia exterius

locis dolore vexatis adhibenda; a principio itaque statim, vsque ad augumentum, refrigerantibus, roborantibus, ac dolorem lenientibus medicamentis succurrendum est, nè ob doloris vehementiam, caliditatis, & ardoris flagrantiam, biliosi, mordacesque humores, ad iuncturas male affectas confluere assueti, irruant, sed potiùs intercipiantur, primum cum aquæ rosacea, aceto, oleo rosato vmphancino, & luteis, & albuminibus ouorum simul permixtis, vel

Cataplasma.

R. Succi semperuiui maioris, & minoris Portulacę, Lactucæ, Solani, Violarum, Plantaginis.	ana	℥ v.
Aquæ rosaceæ, in qua decocta sint, & Semina, & capita papaueris albi Aceti optimi nigri	ana	℥ vj.

Misse & postea in tali mixtura, vel vnam, vel duas, aut tres panis micas optimè macerentur, postea adde olei ros. vmphancini, & lutea cum albuminibus ouorũ, anna q. s. misse, & fiat cataplasma mole, & membra læsa refocillentur, crebrius permutando.

Hęc sunt medicamenta secundum Aętij sententiã deprompta, & postea à recentioribus medicis comprobata in quibus persisterem, & ad stupefacientia validiora non deuenirem, quoniam torporem in iuncturarum vinculis, tendonibus, ac neruis inducunt. Præterea possumus ad hanc eandem intentionem vnguentum multæ efficatiæ, & virtutis hunc in modum præscribere.

R. Ma-

64

R. Mucilaginis Psilij
Succi semperuiui
Lactucæ
Portulacæ — anna ℥ I.
Olei nenupharini
Mirtini
rosati vmphancini
Sem. Papaueris albi ℥ s.
foliorum Hiosyami ʒ iij.
Aceti ʒ vj.
Camphore ʒ s.

Vnguentum.

Cerę q. s. mis. & f. vnguentum vsui seruandum.

Si Pituitosa materia cum sanguine fuerit permixta. Medicamenta, quæ interius exhiberi solent, sunt flores ex Roremarino cum Sacaro conditæ, & magna Antidota, vt Theriaca, & Mithridatum. Valdè profutura autem medicamenta vrinam cientia existimo, attenuant quidem & educunt materiam viscosam, & tenacem, iam in articuli diutius detentam, ibique cõfirmatam, & ad hunc vsum omnia quę vrinam mouent, conducunt, præcipuè tamen stillaticia aqua mihi multum familiaris, & proficua in his casibus, cuius hæc erit descriptio.

In Pituitosis fluxionib.

Dianthos Theriaca Mithridatium.

R. florum sumbici exicatorum ℥ iij. s.
Medulę caricarum ℥ v.
Amigdularum persicorum ℥ iij.
Seminum Irionis ℥ iiij.

Aqua stillaticia ad vrinã mouendam præstantissima.

Contundantur omnia postea macerentur in lib. iiij. vini optimi maluatici per dies quinque, distilletur

postea

postea in balneo marię, cum capello, & recipiente, clausis iuncturis, & aqua distillata seruetur pro vsu exhibendo vncias tres pro vice, omni mane in aurora. Hoc erit mirum pręsidium, nè dum ad pituitæ dissipationem, verum etiam ad illam per vrinę vias expurgandam, Pręterea ad Pituitam consumendam, & ad iuncturas, cerebrum, & ventriculum roborandum decoctum radicis Cynæ sępe maximo cum ęgrotantium iuuamento à me fuit comprobatum. Sed ad omnia viscera roboranda, & artus mirum immodum confirmandos, & ad iuncturarum dolores omnino sedandos, apud me tutissima, & longo vsu admiranda virtute, ac efficatia est compositio approbata, ex qua formantur catapotia, quæ pro septem diebus ad ciceris magnitudinem, trib⁹ horis ante prandium sunt deglutienda, primò mane vna, secundo, duo, tertio die, tres, vsque ad septimum diem, vt in septimo mane sint septem, sæpè harum auxilio expertus sum, quod quotiescunque in omnibus articulis, molestissimi dolores aderunt, præcipuè tamen in pedibus, qui ijs catapotijs, hoc eodem ordine vtebantur, non adhuc transacta septima die à doloribus omnino liberos, ac immunes euasisse. Hoc pręsidium quidem singulare, hucusque inter mea recondita arcana seruaui, vt hac tam opportuna occasione in aliorum vtilitatem inuigilando, manifestarem. Nihil est, vt vberrimam euacuationē expectetis, quoniam paulo plus profectò, quam natura quotidie excernere assueta erat, præstabunt, cuius rei veritatem, vt vnusquisque intelligens facillimè conijcere valeat descriptionem perpendat.

Cynæ decoctum.

Ordo sūmendi catapotia admirādæ efficatiæ cuius descriptio inferius patet.

℞.

Pilularum descriptio.

R. Cinamomi
Gingiberis
Gariofilorum
Nucis Muſcatæ
Macis
Cubebarum
Ligni Aloes
Croci
Turbit electi
Manæ optimæ
Granatæ electę
Agarici
Senæ
Mirobalanorum Kebulorū
Citrinorum
Beliricorum
Emblicorum
Indorum
Amomi
Maſticis
Cardamomi
Aniſorum
Zeduarię
} anna ℨ j.

Rhabarb. electi ℨ iij
Aloes ſucotrini ℨ vi

Omnia iſta benè puluerizentur, & incorporentur cum ſyrupo roſato, imbibendo, & deſſicando ter, poſtea ſeruetur paſta ad vſum.

Sed ad cataplaſmata, & inunctiones extrinſecus apponendas eſt accedendum, quę vt iam dixi dolorē leniunt, diſcutiunt, & exicandi aliqua ſint facultate prę-

præditæ. In principijs autem paululum adstringentia medicamenta permiscenda erunt, postmodum verò solis discutientibus erit vtendum, prętermissis autem ijs, quæ ab Aetio, Traliano, & Aegineta fusius proponuntur, quoniam suis locis vnusquisque ea intueri potest, hoc remedium ratione suę prętantię, ac mirę vtilitatis esse amplectendum consulo.

Cãtaplasma notandũ in Pituitosi sanguineis fluxionibus.

R. Origani	anna M j.
Satureię	
Calamenti Montani	
Sumitatum hebuli	
Vrticę regalis	
Roris Marini	
Saluię	

Vini rubei aromatici q. s. mis. & f. decoctio secundum artem postea facta trituratione.

Adde farinę Hordei	anna Vnc. j. s.
Seminum lini	
Sapæ	Vnc. iiij.
Diamoronis	Vnc. ij. s.

Verbasci vires in tali casu nonnulli scriptores admirãt

Olei rosati vmphancini, camomelini anna q. s. mis. & fiat cataplasma, & loca dolentia frequenter in die foue, sunt quidam, qui summis laudibus Verbascum, folia angustiora habentem, extollunt, dicentes quod si tritum, & loco affecto fuerit impositum, infra paucas horas ita dolorem tollit, vt facultatem ambulandi restituat. Experimentum neque difficilè, neque periculosum est, propterea veritas est tentanda. Quod si ęgritudo fuerit in progressu, & adhuc dolor perseuerare videbitur, suppositis Antiquorum remedijs discutientibus, veluti vnicuique conspicuis,

Re-

Remedia ista leniter discutientia, & exiccantia prę- scribo, vt exempli gratia. R. Apri Vexicam simul cum vrina, cuscutę marinę partem interiorem, illamque cum dicta vrina triturato, postea adde assungię Vrsi tantumdem, & omnia simul permiscendo, secundum artem decoquito, donec fiat vnguentum, quod in supradicta Vexica repone, ad fumum exponendo, post aliquo temporis interuallo. Veterum more loquendo, vnguentum mansuetissimum ad hunc propositum habebis vel R. Catulum octo dierum nactũ, iugula, & deglabra, extrahe intestina, & cum semine canabis subtiliter puluerizato, & cribrato, imple, eius corpusculi rimam optimè claude, & in Verũ ad assandum suffige, pinguedinemque decollantem collige, & vsui serua, ad affectas partes liniẽdas; Aduertendũ tamen quod hoc vnguentum, postremo loco positũ, admirandos affectus pariet, si cuicunque vncie ℥ iij. salis ex humana vrina per distillatoriam artem extracti addideris. Ijs itaque prętitis absque difficultate dolor mitior euadet, materiaque loco affecto detenta, vt ressoluatur audatius ad fortiora, ac valentiora ascendere debemus, quo etiam materiam in loco intimiori fixam, & calefacere generosè, & discutere valeant, ad hoc autem prętandum, tali pacto, medicamentum componatur.

Vnguentum in doloris progressu.

Vnguentũ aliud

R. Therebiantinę electę		lib. j.
Olei laurini		℥ ij.
Laudani	ana	℥ j.
Lactis Castorei		
Gariofilorum		

Oleum stillatitiũ insignis efficacia.

O Cina-

Cinamomi
Mirhę
Masticis } anna ℥ s.
Olibani
Nucis muscatę
Euphorbij. } anna ℥ ij.

Omnia misceantur simul, & conquassentur, & ponantur ad distillandum, & oleum multum, & odoriferum exhibit, dando in principio lentum ignem, & postea augumentando paulatim, donec totum exierit, & recepto ponatur media vncia ambræ, & vna ligni aloes pulucrizati, & membra dolore affecta cũ tali oleo calido fortiter erunt confricanda, & postea cum emplastro oxicroceo appellato contegenda. Hoc equidem medicamentum, vti notabile, ita admirandum est. Non desunt remedia validissima, atque magnę expensę, & virtutis, longo, & frequenti vsu comprobata, quorum nonnulla a me fuerunt inuenta, quædam vero à liberalibus manibus Generosorum Principum dono accępi. pretercætera autem, vnius exemplum inspicito.

Liquor distillatitius mirabilis.

R. Artimillię } anna q. s. ad comburendum,
Absinti } & ad libras decem cinerum
Cardi benedicti } colligendum, postea

R. Cerę citrinę
Therebentinæ electæ
Vernicis liquidæ
Lumbricorum terrestrium } anna lib. i.
Supradictarum cinerum lib. ij.

Misce omnia, & repone in bocia vitrea, & distilla, prius enim aqua exibit, postea oleum, tu verò calorẽ

igni

igni augumentabis, & ita efficies quousque nil poterit exire, deinde.

R. Oleum iam distillatum

Supradictarum cinerum lib. ij.

Misce, & in noua bocia repone, eodem ordine redistillando, & id pro quinque uicibus præstabis, cum oleo semper libras duas cinerum addendo, denuo sexta vice.

R. omnes feces, quæ remanserunt, & oleum iam toties distillatum, misce, & in noua bocia repone, validorique igne postremo distillato, oleum enim cum omnib⁹ suis spiritibus maxima cum felicitate extrahes, quod si cum illo aliqua aquę porcio fuerit permixta, separabis oleum ab illa, & in olla vitrea bene obturata seruabis; quando autem eo vti volueris, prius aqua vitę calida membra cruciata ablue, foueq; deinde cum dicto oleo calido inunge, quo facto illico panum lineum accipe in vino aromatico albo, calidoque madefactum super impone, fascijsque abducito.

Modum vtendi huiusmodi liquore.

Si Melancolicus humor fuerit cum sanguine mixtus, Medicamenta, quę interius exhiberi possunt pro visceribus, & iuncturis corroborandis, conserue quę ex floribus boraginis, & rorismarini conficiuntur satis erunt opportunę; Sed conserua, quę ex camepitios floribus paratur, longè quidem efficatior erit, modo ęger assiduo, & longo temporis tractu ea vtatur. Inexplicabili quin etiam iuuamento erit decoctio, quę ex tota planta cum aqua communi parari potest, humorem enim melancolicum generosè disipat, omnia viscera mirificè roborat, & omnes iunctu-

In Melãcolicis fluxionibus.

Cõserua ex floribus boraginis, rorismarini ex floribus camepitios

Decoctio camedridis.

ras validiores reddit. Extrinsecus verò, locis dolentibus repulsoria, simulque calefacientia cataplasmata adhibito, veluti ea, quę superius in pituitosis fluxionibus descripta sunt, statim vero à principio calefacientia, attenuantia, & discutientia medicamenta administrari debent. Suppositis autem ijs, quę à Galeno, Aetio, & alijs proposita fuere, non vulgare quidem hoc medicamentum existimo.

Medicamenta, quę exterius administrātur.

Oleum stillatitiū mirabile.

R. Radicum, foliorum, & truncus consolidę maioris M. V.
Vini maluatici, optimi, & aromatici lib. iij.

Fiat decoctio secundum artem ad consumptionem tercię partis, deinde facta diligenti expressione.

R. dictam decoctionem
Cerę citrinæ recentis ℥ v.

Fundatur per decem vicibus, postea quādo decoctio frigida facta fuerit, ceraq; fuerit condensata, rursus

R. Dictam ceram
Mire electę, & optimè tritę } anna ℥ ij.
Aluminis plumę contusę

Misce, & formentur veluti globuli parui, & simul cū decoctione antedicta reponantur in bocia vitrea, vt per distillationem oleum extrahas, quod si prima vice oleum totum non exierit, quod facillimè euenire poterit. iterum bis, terque distillabis, donec oleum pulcherrimum, atque subtilissimum exierit, & cum illo, partes à melancolico succo dolentes inungito.

In fluxionibus mixtis, & perplexis.

Si fuerit humorum perplexa mixtio, Medicum nèdum occulatissimum, verum etiam fortunatissimum esse oportet, tam in dolorum, ac fluxionum causis indagandis, quam in medicamentis cum certo ęgrotantium

tium iuuamento,& diuinandis, & elegendis. quoniã in tali casu medicamenta interius exhibere pro corroborandis visceribus, firmandis iuncturis,& doloribus amouendis,hoc opus,hic labor est. Verum peracta purgatione quotiescunque ad catapotiã superius à me proposita.ad sedandos dolores in fluxionibus pituitosi sanguinis confugiebam in hac perplexa,obscuraque Podagra, admirabile quidem, maximumque iuuamentum expertus sum, quoniam ingenue in omnibus fluxionibus idem mihi feliciter accidit. Exterius verò adhibitis in principio repellentibus idoneis;ad dolorem sedantia vnguenta suauiterque discutientia deuenirem,veluti ad vnguentum ex catulo assato, in cura fluxionum bilis cum sanguine mixti propositum,accederem; vel talem etiam eligerem, ad hunc eundem propositum, & valde accommodatum, & mirum immodum saluberrimum.

Catapotia iam proposita.

Extrinseca remedia.

Vnguentum.

Vnguentum notabile.

R. Olei communis optimi ℥ vj.
Rosati completi ℥ ij.
Butiri recentis ℥ iij.
Ceræ citrinæ recentis ℥ j.
Rasę pini
Therebintinę clarę
Adipis Tapsi
Medule crurium Bouis } ana ℥ s.

Misce, & ad lentissimum ignem decoque, donec fiat vnguentum,colletur,& in omni vncia dicti vnguenti adde salis vrinę humanę ʒ iij. & optimè cum spatula misce,augumentabitur enim,& fiet spongiosum, & leue sicuti gossipium, & in vase optimè clauso seruetur.

uetur; vsus autem est partes affectas inungere, super imponendo pelliculam tenuem ad papiri similitudinem ex assungia suila extracta, inunctionem de tribus, in tribus horis, repetendo.

In fluxionib. congelatis. Si tandem materia in digitorum iuncturis, vel Manuum, vel Pedum condensata, & congellata fuerit. sanequam difficilè omnino erit negotium, si curationem Medicus tentare audebit. Nè vero frustra Nodosæ Podagrę, & Chiragrę naturam, & cognitionem me tradi disse dicatur; Nè ve, qui à tali morbo corripiuntur, animo, & corpore exagitati remaneant, corporis, & animi ęgritudinem, & angorem quoquomodo curare, & subleuare decreui. Quamobrem ad *Medicamenta interius adhibēda. Alexādri.* medicamenta interius assumenda accedens; dico quod ab Alexandro magnopere laudatur medicamentum illud paratum ex Centaurea, Camedrio, Hyperico, Aristolochia rotunda, Gentiana, Petroseleno, Agarico, Phu dulci Meu, Spica Nardi, Mele, Aqua tepida, quo Author ille grauissimus fatetur quendam nouisse magnos Tophos in articulis expertum, ad sanitatem adeò fuisse restitutum, vt citra impedimenta deambularet, quoniam per integrum annum *Aliud.* eo vsus fuit. Et alium, qui cum à Podagra Nodosa cruciari cępisset decoctum Origani, & Camedridis bibens, à deteriori morbo se ipsum seruauit. Præterea mihi à nonnullis sapientibus viris relatum est, quod in quadam Germanię Ciuitate, quę Naimburg *Aqua notanda in quadā Germania ciuitate.* appellatur, Aquę scaturientes reperiuntur, ex quibus incolæ Ceruisiam ad vsum bibendi parant, cuius potù, homines paulo temporis tractu, cōtortos digitos à Chiragra, & Podagra habentes, omnino liberi euadunt.

dunt. dicunt autem quod bibentes, sæpe in die per inferiorem aluum se expurgant, quod huiusmodi aquas à nitri mineris scatere inditium est. Nulli certè reuocatur in dubium, quod obstare principijs magni momenti est, eoque magis, quando recta victus ratione, & medicamentis celeberrimis vtimur, vt est decoctum camedridis, qui in omnibus articularibus affectibus, præcipue tamen Podagricis mirabilia facit. *Decoctum camedridis.* Exterius autem ad Tophos discutiendos medicamenta probantur, quę discutiente simulque molliente facultate sunt prędita, propterea Adipes vetustiores emoliunt, & medulæ. *Extrinseca remedia.* *Adipes.* Vt adipes Anseris, Gallinę, Tapsi, Vrsi; Medulę crurium bouis, *Medula* olea antiquiora, vt Momordicæ, Vulpini, communis antiqui, *Olea.* & Gumæ, vt Bdelium, Opoponacum, Ammoniacum, *Gumæ.* & Mira. Digerunt autem Salnitrum purificatum, sal commune, quę omnia ab Hyppocrate, & Galeno valde commendantur. *Sal.* ijs autem mihi addere liceat sal ex vrina humana extractum, qui ob illius tenuioris substantiam facilius penetrare potest. addo etiam quod si ex Ammoniaco, Bdelio, Galbano, Opoponaco, Mira, cera, Resina, Therebintina, per distillatoriā peritiam extrahantur olea, absque vlla comparatione erunt efficacissima ad emoliendos, ac generose, Tophos discutiendos, *Olea stil latici ex gumis.* probatur etiam ceratum ab Andromaco propositum. *Cerata.* Ad emoliendum etiam silentio minimè esse prætermittendum existimo lixiuium illud, quod post lanis succidis ablutis remanet. *Lixiuia.* Et ad hanc eandem intentionem, medicamenta illa singularia à me superiùs proposita in pituitosis fluxionibus, mirificè proderunt.

De Balneis ad abluenda membra iam medicamentis fœdata. Cap. V.


OSTREMÒ loco Balnea, siue lauationes mihi se se offerunt proponendę, quę Medico ordinare licet ad membra vnguentis, & inunctionibus fœdata, abluenda; dummodo prius omnia præstiterit, quæ ad medicinę vsum, valdè erunt necessaria, hęc autem varia, diuersaque esse debent pro varietate, ac differentia humoris peccantis.

In sanguineis fluxionibus debent esse moderatè refrigerantia, & exiccantia, ad hoc vt iuncturas, & artus corroborent, fiat itaque lixiuium dulce, in quo postea decoquantur folia sicca rosarum, Mirti, Balaustiorum, cortices granatorum, cum exigua aceti quantitate.

Si vero sanguis cum bile permixtus fuerit, lixiuiū erit instituendum, refrigerandi adstringendi, & quoquo modo incrassandi facultate præditum, decoctio itaque cum aqua fluuiali instituatur, cum radicibus alteę minutim incisis, cum folijs violarum, semperuiua maiori, & minori, cum portulaca, lactuca, solatro, Plantagine, rosis, Mirto, corticibus granatorum, ouorum testis, capitibus Papaueris albi, addita quarta parte aceti nigri veteris.

Si fuerit pituitosa materia, Balneum parari debet cum lixiuio dulci, & vino nigro aromatico, in quo decoquatur saluia, rosmarinum, sumitates Hebuli, Vrtica, Puleium, Origanum, Camedrios, Satureia, Calamentum Montanum, Salnitrum, sal commune,

cum alumine roca.

In melancolicis fluxionibus, idem lixiuium pro pituitosa materia paratum, opportunum fore censeo.

Si diuersorum humorum perplexa miscella fuerit, varia, diuersaque à me superiùs proposita ingredientia pro lixiuio parando, à prudenti Medico, in vnum colligenda sunt.

Si denique congelata, condensataque fuerit materia, vel in Pedum, & Manuum digitorum articulis, lixiuium cum Vino albo, & Aqua, sale communi, radicibus Alteę, folijs, & radicibus Camepitios, & summitatibus Hębuli optimè parari debet, ad abluendas enim sordes, ab inunctionibus productas, atque ad discutiendum, & corroborandum præstantissimum erit.

De Victus ratione instituenda.
Cap. VI.

DVo præcipuè in optima victus ratione instituenda præstari debent, primo ægrotantem admonere, à quibus nam ipse prorsus se cauere debeat, deinde vero, quæ omni sedulitate obseruare, ac inuiolabiliter amplecti tenetur, quoniam ferè omnes, qui huiusmodi morbis, vel corripiuntur, vel obnoxij sunt, inordinate viuunt, propterea qui à sanguinea fluxione læduntur, Euitare prorsus debent crapulam, Ebrietatem, Venerem immodicam, somnum extra tempus, & consuetudinem, cibaria quæ multum nutriunt, &

quæ copiosum sanguinem generant, vt capones veteres, Vitulos pingues, Galinas, Hædos pinguiores, Fasianos, Coturnices, & vina lautiora, & generosa; Tenetur autem in cubiculo vitam degere, cuius aer vel natura, vel arte sit temperate frigidus, & siccus, somnus, ac Vigiliæ sint moderatæ, vtatur carnibus facilis concoctionis, & quæ non admodum nutriant, & parce: vt sunt carnes Vituli iunioris, Hædi non admodùm pingues, & paruorum auium montanarum: pulmenta sint ex hordeo, ex Panico, & Fare, & loco vini, seue decocto, vel hordei, vel seminum coriandrorum, aut cinamomo vtatur.

Si fluxiones biliosæ fuerint, vitentur motus, Vigiliæ diuturnæ, Vinum, & Venus, ac cibaria calida, & sicca, & dulcia præcipuè, & ea in quibus vel sal, vel aromata ingrediuntur, quę facillimè bilem procreare possunt; Inedia, animi mœrores, & iræ. Tenetur autem in cubiculo commorari hilari animo, absque motu, cuius aer sit potius temperatè frigidus, ac humidus, somnum suis temporibus quærat. Vitulinas carnes eligat, sed partem pinguiorem, & Pullorum iuniorum, ptissana hordeacea cum seminibus melonum parata valde erunt opportuna, & in iuribus dictarum carnium, lactucæ, maluæ, cuscutæ, & intibi decoqui possunt; Pisces etiam saxatiles conueniunt, Fructus aliqua facultate adstrictoria prędici laudantur, vt pira, poma, & mala citonia, & castaneæ. Potus sit aqua hordeacea, in qua lactucę folia, & prunę siccę decoctę fuerint.

Pituitoso autem influente humore. nimia quies euitāda, Crapula, Ebrietas, & Venus, somnus immodicus.


dicus, otia. caueat se à cibis humidis, & frigidis, & maximi nutrimenti, vt sunt carnes pingues, lacticinia, caseus. Legumina, & fructus fugaces euitentur, in aere ad calidum potiùs, & siccum vergēte, degat, post fluxionis initia interdum deambulet, vigilet, ac inedia vtatur, plus enim vigiliȩ, quam somnus ad humorem pituitosum attenuandum, & consumendum conferunt, nam vt quidam cecinit.

Ieiunient, Vigilent, siccient qui reumata curant.

Qui vero inædiam sufferre non possunt, cibaria quæ extenuant, & parum nutriunt, eligant, in eorum serie carnes auium montanarum, Vituli, & Hædi gratiliores pro tempore in aceto seruatæ, & postea cum pinguedine exigua Vituli assatȩ, & sapa reponuntur; panis biscotus laudatur, item vsus caparorum cum aceto, & passulis, Phisticorum, cortices citri cum sacaro conditȩ, radices Petroscelini, Feniculi. in potu, decotio coriandrorum, vel cinamomi, vel radicis cynæ, seu aqua mulsa, cum saluia decocta, commendatur. hȩc enim gustui satis gratissima erunt. de Vino nihil est, vt loquamur, quoniam multi, qui ab initio morbi, à Vino se abstinuerunt, liberati sunt, alij diutius se præseruarunt, & alij dolores longè quidem leniores experti fuere.

De Præseruatione à Gutta Chiragrica, Podagrica, & Arthritica.

Cap. VII.



QVI à Gutta Podagrica, Chiragrica, vel Arthritica, optimo consilio, omnique sedulitate iam curati fuere, imposterùm ita se gerere debent, vt auersentur, quo minus in eosdem affectus incaute incurrant. Ratio itaque præmuniendi, & precauendi ab imminentibus morbis est ferè eadem cum illa, qua presentes affectus curantur, quoniam quæcunque ad morbos curandos maximè faciunt, proculdubio ad eosdem etiã precauendos quo minus superueniant admodum opportuna, ac vtilia videntur. Propterea sicuti ratio curandi in remouendis causis consistit, ita & præseruandi ratio in euitandis morborum occasionibus posita est. occasiones autem, quę faciunt homines in articulares morbos incurrere, repletiones tum bonorum, tum etiam malorum humorum sunt, & Articulorum laxitas, & imbecillitas. Primam causam facillimè quidem euitare possumus, prudenti, rectaque victus ratione, qua occasiones congerendi multitudinem, & bonorum, & prauorum humorum remouentur. Cibarijs itaque facilis concoctionis, & optimi nutrimenti, minusque excrementicijs vtendum erit, atque ab eorum exuberantia, & varietatibus erit abstinendum, Lirici Poetæ sententiam sequentes, vbi huic proposito cecinit.

Accipe nunc victus tenuis: quæ quantaque secum
Afferat,


Afferat, imprimis valeas bene, nam varia res,
Vt noceant homini, credas; memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit. at simul assis
Miscueris elixa simul conchylia Turdis, &c.

Cauendo se à pigritia, à nimio otio, à longa quiete, & ab immodica facietate, tam cibi, quam potus, ab inordinata, intemperataque Venere, ab importunis laboribus, & à laboriosis, & intempestiuis exercitationibus, à quibuscunque animi motibus insignis; à vigilijs immodicis, à somno extra consuetudinem, & tempus, quia hæc omnia vim habent, & bonorum, & malorum humorum copiam congerendi. Insuper etiam omnium assuetarum euacuationum suppressiones euitandæ omnino sunt, siue sint à natura, siue à causa morbosa, siue tandem ab arte iam institutæ. Naturales autem, vt est fluxio mensium, & quę veluti per periodos ab hęmoroidibus, vel e naribus fiunt, resserari debent: quę à morbosa causa veluti interdũ euenire solet, vt ab vlcere in crure diu aperto, & postea consolidato, cauterio, vel aliquo alio remedio denuo aperiri debet; Quæ vero arte fuerant instituta, vt cauteria, vel in brachio, vel in crure, vel in occipite diutius resserata, postmodum consolidata, iterũ debent, vel ferro, vel caustico, vel igne reformari. Et si qui vel semel, vel bis, aut sępius, & venę sectione, & soluentibus medicamentis, aut catapotijs se expurgari iam assueti fuerant, huiusmodique purgationes dimiserint, debent deinceps ad eas, & semel, iterùm, atque iterùm præstandas reuerti;

Quoniam autem fieri nequit, quin homines, licet optima, & exquisita victus ratione vtantur, in eosdẽ

dolores incurrant, ob aliquam excrementorum congeriẽ, vel à ventriculi imbecillitate productã, vel temporũ inæqualitate, vel ex articulorũ naturali, vel adsititia laxitate, vnde tẽporibus determinatis, vtputa Vere, Autumno, & Verno tempore dolores mouentur. *Hos* (dicebat Galenus 6. aphor. com. 47.) *oportet, vt anticipemus euacuare Vere adueniente, vel per venæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur, vel per purgationem, si eis quæ ex corruptione proueniunt, nos itaque plurimos ita seruauimus annos, qui longo ante tempore singulis annis morbis capiebantur. Atque Podagrã, & morbum Articularem adhuc incipientem, & non dum poros circa Articulos facientem, ex tali euacuatione multis iam annis fieri probibuimus*. Quę porrò vena sit secanda, & quę sanguinis quantitas sit extrahenda, hoc prudenti Medico considerandum reliquitur, habita ratione naturę laborantis corporis, temporis, ętatis, virium, & eius consuetudinis, & membri, quod frequẽtius dolore vexatur. Quibus verò medicamentis expuragndum sit, humorum natura, & quantitas, & locus in quo humor congeritur, & corporis habitudo, & vires docebunt. Quantum ad Articulorum laxitatem, & imbecillitatem attinet, vel naturalis, vel quoquo modo illa sit, aduertendum, quod nullum tutius remedium peracta prius purgatione ad articulos confirmandos excogitari potest, quã vsus pillularum, cuius descriptio in cura fluxionis pituitosę fuit proposita, quę ad omnes fluxiones est valde opportuna; vsusque Theriacę ad Ventriculum, Cerebrum, & Articulos roborandos maximè valet.

FINIS.




Errata Potiora ita corrigito:

Pag. 2	*Podagricis legge*	*Podagrici*	50	*neceſſavia*	*neceſſariam*
3	*Claues*	*Clauis*	51	*accingant*	*accingam*
5	*Chiragica*	*Chiragrica*	56	*parte*	*pártes*
7	*Clanicula*	*Clauicula*	59	*facile quid*	*facile quidem*
8	*Vena cum ex*	*Vena caua ex*	60	*pranotiorıbus*	*pranotionibus*
9	*Exteriore*	*Exteriores*	85	*per vene ſectione*	*per vena ſectionem*
13	*humore*	*Tumore*	86	*à Galenum*	*à Galeno*
30	*agritudine*	*agritudini*	181	*ſtientia*	*cientia*
41	*per*	*pro*	*ibidem*	*ſubiei*	*ſambuci*
ibidem	*ſpatium*	*ſpatio*			



VERONÆ,
Angelus Tamus excudebat.
M D C.




RESTAURO DEL LIBRO
LELLI
MARIO

